





*Anguigeræ geminata satis per facta parentum.  
 Et diffusa diu Gloria stirpis erat.  
 Nunc in HONORATO, cunctas qui seruat Auitas  
 Pectore virtutes, conglomerata uiget.*

*Io. P. Blaeus Inu. Medice*

Effigies Honorati Visconti impressa in libro *Vite dei dodeci Visconti, che signoreggiano a Milano*, descritte da Mons. Paolo Giovio, in Milano MDCXLV

INSTITUTUM HISTORICUM POLONICUM ROMAE

FUNDATIO LANCKOROŃSKI

# **ACTA NUNTIATURAE POLONAE**

moderatore Henrico Damiano Wojtyśka CP

**TOMUS XXIV**

**HONORATUS VISCONTI**

(1630-1636)

\*

**Volumen 1**

(20 IV 1630 - 26 VII 1631)

edidit

**ADALBERTUS BILIŃSKI**



Non exstinguetur

ROMAE 1992

*Redactio et administratio:*

Institutum Historicum Polonicum Romae  
19, Via Virginio Orsini, 00192 Roma, Italia

*Summaria Latine vertit:*

Lucianus Olech

*Introductionem Latine vertit:*

Christophorus Pawłowski

*Textum graphice composuit:*

Maria Lamberti

*Edidit:*

Fundatio Lanckoroński  
Friburgi Helvetiae

## INTRODUCTIO

### I De nuntiatura Honorati Visconti eiusque adiutoribus

Honoratus Visconti, filius Herculis, comitis Saliceti et Annae Sfondrati, filiae Pauli Sfondrati (nepotis Gregorii XIV), Mediolani ante a. 1585 natus est. Honoratus in linea directa a duce Sagromoro, uno ex triginta quinque filiis Barnabae Visconti, ducis Mediolani, originem duxit. A. 1467 Petrus Franciscus († 1484) a ducibus Mediolani ex stirpe Sforza obtinuit praedia in Basaluzzo et Castelspino et a. 1477 bona terrestria Saliceti. Inde ille ramus familiae Visconti, cui ipse originem dedit, titulum comitum Saliceti assumpsit. Possessio eorum praediorum ad Alfonsum Visconti († 1520) pertinentium a Ludovico Maria Sforza, vulgo Moro cognominato, a. 1496 confirmata est. Hannibal, avus Honorati, haec praedia integra retinuit, quibus etiam bona in Rhaudio (Rho) prope Mediolanum sito adiunxit. Ita post mortem patris sui a. 1584 et patruus a. 1608, cardinalis Alfonsi Visconti (annis 1589-1591 nuntii Vindobonae), Honoratus tam memoriae familiae suae, quam bonorum, ad lineam comitum Saliceti pertinentium, heres factus est<sup>1</sup>. A. 1612 Petrus Franciscus, maior natu frater eius, partem bonorum hereditariorum ei tradidit<sup>2</sup>.

Honoratus primum sub tutela patruus sui Alfonsi manebat, qui pecuniam suam in studia litterarum eius liberaliter insumpsit eumque adiuvit, ut amplas dignitates ecclesiasticas adipisceretur. Cum Alfonsus munere legati in Marchia Anconitana fungens diem supremum obisset, gratus nepos corpus eius Macerata Lauretum transtulit et ibi in basilica B. Mariae Virginis condidit et hoc modo gratiam pro beneficiis patruo rettulit<sup>3</sup>. Honoratus studia theologiae in Collegio Romano absolvit, ubi eum a. 1602 orationem in honorem sanctae Caeciliae habuisse videmus<sup>4</sup>. 21 VII a. 1608 a summo pontifice Paulo V referendarius Utriusque Signaturae no-

---

<sup>1</sup> Cfr. Litta VIII, p. 272. Descriptio vitae Honorati Visconti hactenus desideratur. Non completae, saepe satis confusae et parum accuratae de nuntio nostro informationes, quas in encyclopaediis invenimus, praesertim illa, quam C. Moroni divulgavit, nos cogunt, ut propriam hac in parte inquisitionem in archivis suscipiamus. In Polonia Sophia Sułowska, commentario, ab Andrea Peški in *Encyclopaedia Ecclesiastica* Michaelis Nowodvorski publicato nixa, breviuscule de vita eius scripsit, cfr. Sułowska, p. 34-35.

<sup>2</sup> Milano, AS, Fondo Religione, Parte Antica, Anno 1764, carta 2747.

<sup>3</sup> Cfr. Volpi, p. 389, ibi etiam impressum est epitaphium, quod Honoratus patruo suo dedicavit.

<sup>4</sup> Cfr. *Comitis Honorati Vicecomitis, Mediolanensis, Seminarii Romani convictoris, Oratio de S. Caecilia Virgine et Martyre, habita ab eodem in Aula Collegii Romani Societatis Iesu, coram Illustrissimis et Reverendissimis S.R.E. cardinalibus Paulo Tit. S. Caeciliae et Flaminio Plato*. Romae, apud Aloysium Zannetum, MDCII, 4. Die 27 VII 1602 obtinuit diploma studiorum rhetorices, quam per biennium discebat, Milano, ASCBT, Arch. Visconti di Saliceto, caps. 33, n. 7 a.

minatus est<sup>5</sup> et ab eo tempore primos gradus dignitatum in administratione Status Ecclesiastici ascendere coeperat. Itaque annis 1608-1610 munere gubernatoris Aesis<sup>6</sup>, annis vero 1610-1611 Fani<sup>7</sup>, 1611-1614 Asculi<sup>8</sup>, 1614-1618 Anconae<sup>9</sup>, et 1618-1621 provinciae Campaniae et Maritimae functus est<sup>10</sup>. Non parva confusio apud viros rerum gestarum studiosos orta est ex falsis et erroneis opinionibus a Caietano Moroni traditis, qui Honorato possessionem Castelli Gandulfi falso attribuit et affirmavit eum possessionem illam summo pontifici Urbano VIII a. 1623 vendidisse<sup>11</sup>. Annis 1624-1627 Visconti munus visitoris apostolici et inquisitoris Melitensis obivit<sup>12</sup>. Postea annis 1627-1630 functus est munere gubernatoris provinciae Marchiae Picenae, cuius sedes Maceratae erat<sup>13</sup>. Haec ho-

<sup>5</sup> Or. brevis nominationis invenitur Milano, ASCBT, Arch.Visconti di Saliceto, caps. 33, n. 7 d; cfr. AV, Sec.Brev. 435 f. 105r-108r (cum dato 5 IX 1608!). Iam 17 VI 1608, iuxta actum, quo Visconti gubernator Aesis nominabatur, ascriptum est: "In Sygnatura Iustitiae Referendario" (cfr. AV, Sec.Brev. ms. 432 f. 268r). Adhuc in consistorio 10 VI 1630 celebrato Visconti appellabatur: "Utriusque Signaturae Referendarius" (AV, AC, Acta Camerarii, ms. 45 f. 127v).

<sup>6</sup> Certe auctore patruo, cardinali Alfonso Visconti, nominationem 17 VI adeptus est, cfr. AV, Sec.Brev. ms. 432 f. 263r, 268r. Breve nominationis datatum est 23 VI 1608, cfr. or. Milano, ASCBT, Arch.Visconti di Saliceto, caps. 33, n. 7e. In indice gubernatorum Aesis, qui in BV, Borg.Lat. 883 f. 202r invenitur, annis 1608-1610 nomen eius legitur.

<sup>7</sup> Breve nominationis datatum est 4 V 1610, cfr. or. Milano ASCBT, Arch.Visconti, caps. 33, n. 7 g. In indice gubernatorum, in BV, Borg.Lat. 884 f. 109v servato, a. 1610 nomen eius occurrit. Cfr. etiam epistulas, ab Honorato Visconti 4 IV 1610 - 31 III 1611 Fano ad familiam Barberini missas, in BV, Barb.Lat. 9025 f. 1r-3r asservatas.

<sup>8</sup> Breve nominationis datatum est 3 IX 1611, cfr. reg. Milano, ASCBT, Arch. Visconti di Saliceto, caps. 33, n. 7 f, p. 6-7. Cfr. indicem gubernatorum Asculi, BV, Borg.Lat. 883 f. 266v. Hoc a Pompeio Litta comprobatum est, p. 272.

<sup>9</sup> Cfr. indicem gubernatorum Anconae, BV, Borg.Lat. 884 f. 96r. Cfr. etiam epistulas, ab Honorato Visconti ad familiam Barberini 8 VII 1614 - 3 VI 1618 Ancona missas, BV, Barb.Lat. 8948 f. 1r-6r. Breve nominationis datatum est 7 II 1614, cfr. or. Milano ASCBT, Arch.Visconti di Saliceto, caps. 33, n. 7 i.

<sup>10</sup> Breve nominationis datatum est 19 VI 1618, cfr. or. Milano ASCBT, Arch.Visconti di Saliceto, caps. 33, n. 7 l. Nominatio in gubernatorem Campaniae repetita est, cfr. breve orig. 18 IX 1618 datum, ibidem n. 7 n. In indice, qui in BV, Borg.Lat. 883 f. 337r invenitur, Visconti "Governatore di Marittima e Campagna", in indice BV, Borg.Lat. 884 f. 142r "Governatore generale di Campagna", in inscriptione autem post mortem eius facta etiam "Gubernator Latii" appellabatur, cfr. Argelati, p. 1609-1610.

<sup>11</sup> Cfr. Moroni X, p. 159. Huic opinioni etiam Ludovicus Pastor obsecutus est (Pastor XIII, p. 267 et index). Re vera possessor horum bonorum fuit Scipio Visconti, filius Hieronymi, qui originem non a comitibus Saliceti ducebat, et cum testamentum conscriberet, bona haec Thaddaeo Barberini, filio fratris summi pontificis Urbani VIII, cessit. Exsecutor testamenti fuit filius Scipionis, Nicolaus Visconti, qui 29 VII 1631 Castellum Gandulfi quattuor milibus scutorum vendidit, cfr. BV, Arch. Barberini, Ind. II, ms. 630; cfr. etiam ibidem ms. 608, 610, 629, 634.

<sup>12</sup> Breve nominationis datatum est 10 V 1624, cfr. or. Milano, ASCBT, Arch.Visconti di Saliceto, caps. 33, n. 7 q. Epistulae, ab Honorato Visconti ad familiam Barberini 8 V 1623 - 31 I 1627 missae ex hac insula, in BV, Barb.Lat. 6677 asservantur. Tres autem epistulae, ab eodem Visconti ad cardinalem Ludovicum Ludovisi annis 1625-1626 ex Melita datae, in APF, SOCG 1, f. 289r, 291r, 293r inveniuntur.

<sup>13</sup> Breve nominationis datatum est 13 VI 1627, reg. Milano, ASCBT, Arch.Visconti di Saliceto, caps. 33, n. 7 f, sine foliatione. In indice gubernatorum provinciae Piceni, cfr. BV, Borg.Lat. 884 f. 36r, nomen eius 24 VI 1627 scriptum est. Cfr. etiam epistulas Honorati Visconti ad familiam Barberini, 26 VI 1627 - 7 VI 1630 Macerata missas, BV, Barb.Lat. 9070.

nesta munera, Honorato Visconti demandata, clare demonstraverunt eum negotia officiaque sua accurate ac diligenter explevisse.

Iam mense Februario a. 1630 in Sede Apostolica de nuntio in Polonia nominando cogitabatur. Cum enim Antonius Santacroce munus nuntii annis 1627-1630 explevisset, die 23 II a. 1630 papa ei concessit, ut Poloniam relinqueret ea condicione, ut auditor eius, Cyprianus Bardino, suo loco maneret, propterea quod novus nuntius nondum esset nominatus<sup>14</sup>. Adhuc mense Aprili ineunte de nominatione eius successoris nihil erat constitutum<sup>15</sup>. Id tamen certum est Honoratum Visconti die 20 IV a. 1630 nuntium nominatum esse. Nam eo die cardinalis secretarius status per litteras de designatione eius, a summo pontifice Urbano VIII facta, certiozem eum reddidit<sup>16</sup>. Ipse autem Honoratus, quem hic actus nominandi attinebat, die 26 IV Francisco Barberini, qui adiutor ei ad dignitatem nuntii adipiscendam fuit, gratias egit<sup>17</sup>. Mox post eam nominationem, die 10 VI a. 1630, Visconti ad dignitatem archiepiscopi titularis Larisseni evectus est<sup>18</sup>. Non satis certum manet, quo tempore episcopus consecratus sit, conici tamen potest eam consecrationem ante 7 VII 1630 in Aedicula illa B.M.V. in Basilica Laurentana sita factam esse<sup>19</sup>. Nam altera parte mensis Iunii<sup>20</sup> litteris credentialibus<sup>21</sup>, facultatibus<sup>22</sup> et clavibus<sup>23</sup>, ut vocant, litterarum arcanarum instructus, in Poloniam profectus est. Procul dubio iam sub finem mensis Iunii a. 1630 amplam instructionem obtinuit, qua de Polonia, eius historia et forma regiminis, institutis et consuetudinibus, aëris condicione etc. accurate edocebatur<sup>24</sup>. Itaque Ancona egressus, per mare Hadriaticum Tergeste venit, deinde per dominia Venetorum septemtrionalia et per partes meridianas Austriae iter faciens, die 18 IX Vindobonam accessit<sup>25</sup>, denique die 7 X a. 1630 Cracoviam pervenit<sup>26</sup>.

<sup>14</sup> Franciscus Barberini ad Antonium Santacroce, Romae, 23 II 1630, reg. AV, Nunz.Pol. 174A f. 159r.

<sup>15</sup> In epistulis cardinalis Francisci Barberini ad Antonium Santacroce datis nulla mentio de nominatione fit, vide AV, Nunz.Pol. 174A f. 162r-163r.

<sup>16</sup> Cfr. infra N. 1. Eodem die Franciscus Barberini de hac re Antonium Santacroce docuit, reg. AV, Nunz.Pol. 174A f. 163r-v.

<sup>17</sup> Cfr. infra N. 3.

<sup>18</sup> Cfr. AV, AC, Acta Camerarii 16 f. 332v.

<sup>19</sup> Vide N. 16, 19. Laurentum prope Maceratam situm est, ubi Honoratus Visconti sedem habuit. Putari potest hanc consecrationem inter 28 VI (cfr. N. 17, litteras subscriptas: "Honorato Eletto di Larissa") et 7 VII (cfr. N. 22, litteras subscriptas: "Mons. Onorato Visconti, arciv. di Larissa") factam esse.

<sup>20</sup> Die 17 VI etiamnum Maceratae (cfr. N. 8), die autem 28 VI in Monte Cassiano (cfr. N. 17) fuit.

<sup>21</sup> Cfr. N. 5-7. De eis litteris missis in N. 14 agitur.

<sup>22</sup> Cfr. N. 9-13. De litteris facultatis missis, vide ut supra N. 14.

<sup>23</sup> Claves ad duo scripta arcanis notis exarata non sunt repertae. De his scriptis missis cfr. supra N. 14.

<sup>24</sup> Cfr. N. 18.

<sup>25</sup> Cfr. N. 41.

<sup>26</sup> Cfr. N. 47. Sollemniter in urbem die 8 X introiit, cfr. Diarium a Ioanne Wielewicki conscriptum, Cracoviae, BPAN, ms. 1927, t. I, f. 640r. In Diario scribitur nuntium 5 X Tineciam venisse, Cracoviam vero 8 X ingressum esse, cfr. A. 1.

Cum novus nuntius in Poloniam veniret, pondus et auctoritas huius regni in Europa iam valde decrevit. Domus quidem Vasarum per octoginta annos regno Poloniae potiebatur, sed titulum regis Suecorum usque ad a. 1660 servavit, quo factum est, ut rationes Polonorum in Europa aliquanto fortiores esse viderentur. Ex qua re spes etiam Sedis Apostolicae ad fidem catholicam in Suecia restituendam nascebatur. Cum tamen expeditio a Sigismundo III pro corona Suecorum obtinenda a. 1598 facta et bellum cum Gustavo Adolfo annis 1626-1629 gestum non prospere successerint, omnia consilia et conatus Sedis Apostolicae ad irritum redacta esse videbantur<sup>27</sup>. Praeterea Sedi Apostolicae non parum curae erat, ut unio Brestensis, inter Ecclesiam Romanam et Orthodoxam Ruthenam a. 1596 inita, ad effectum perduceretur, quod tamen, tempore fugiente, speratos fructus non attulit<sup>28</sup>. Sedem enim Apostolicam potissimum sollicitabant et angebant conatus et consilia dissentientium in religione. Qui studebant, ut confessionum aequabilitas, quam imprimis participes Confoederationis Varsaviensis a. 1573 postulabant, conservaretur<sup>29</sup>. Nam una ex parte desideria Sedis Apostolicae initio saeculi XVII ad fidem catholicam in Moscoviam introducendam, etiam atque iterum excitata, cum conatibus Pseudodemetrii in throno Moscovitico collocandi et cum bello annis 1609-1618 gesto coniuncta, non sunt saturata<sup>30</sup>. Altera vero ex parte Sedis Apostolicae maxime intererat, ut Sigismundus III in rebus internis et externis fidei catholicae faveret, praecipue tempore belli triginta annorum in Europa gesti, in quo magnam partem Poloni in posterum agere potuerunt, quorum omnes partes bello illi implicatae rationem habere debuerunt<sup>31</sup>.

Hunc in modum interpretandus est tenor instructionis principalis a card. Francisco Barberini (1597-1679), nepote Urbani VIII et secretario status, Honorato Visconti datae, cum ille autumno a. 1630 in Poloniam proficisceretur. Haec instructio reapse fuit relatio secretioribus notis a praedecessore eius, card. Antonio Santacroce, conscripta (litteris Francisci Barberini instructa), qui statum rerum Polonicarum optime cognovit. Ille enim successorem suum edocebat, ut rege adhuc vivente Vladislaum, filium primogenitum Sigismundi III, adiuvaret, qui Gustavo Adolfo regnum Poloniae petenti obsistere fidemque catholicam, in Republica principalem, servare deberet<sup>32</sup>.

Visconti, propter pestem Varsaviae saevientem, a mense Octobri a. 1630 usque ad Ianuarium a. 1631 procul ab aula regia Cracoviae commorari coactus est. Demum die 3 II a. 1631 Varsaviam pervenit<sup>33</sup>. Ubi pri-

<sup>27</sup> Cfr. Wisner, p. 26-111.

<sup>28</sup> Cfr. Bieńkowski, p. 838-848; Chodynicki, p. 263-557.

<sup>29</sup> Cfr. Korolko passim.

<sup>30</sup> Cfr. Maciszewski PM passim.

<sup>31</sup> Cfr. Czaplinski ZDP, p. 255-259.

<sup>32</sup> Cfr. N. 58.

<sup>33</sup> Cfr. N. 119.

mum in domo conducta habitabat<sup>34</sup>, postea a tempore Paschae sedem ac domicilium praecedentium nuntiorum, in conventu Fratrum Bernardinorum apud ecclesiam Sanctae Annae, occupabat<sup>35</sup>, ubi per intervalla usque ad finem mensis Martii a. 1636 residebat. In comitiis Regni hieme a. 1631 celebratis, quibus intererat, conabatur, ut iuxta mandatum summi pontificis, rege Sigismundo III adhuc vivente, Vladislaus novus rex eligeretur. Sed cum tale mandatum ei commissum vix expleri tum potuerit, brevi tempore hoc conatu destitit<sup>36</sup>. Quod propterea fecit, ut alia officia, quae ei in altera instructione commendata erant, perfici possent. Hac enim instructione docebatur, quid de fide catholica confirmanda et contumacia dissentientium in sacris vincenda ei in comitiis agendum esset<sup>37</sup>. Cum in Polonia commoraretur, per unum dimidiatumque annum animum suum ad electionem libere peragendam intendit. Etiam apud lectum vitalem Sigismundi III usque ad supremum vitae eius diem affuit<sup>38</sup>. Brevi tempore post mortem regis, iuxta morem et usum Curiae Romanae, Honoratus Visconti denuo ab Urbano VIII nuntius in Polonia cum potestate legati a latere nominatus est, ut personam summi pontificis tempore electionis ageret<sup>39</sup>. Tempore interregni et electionis imprimis Varsaviae erat et nitebatur, ut candidatus rationibus Sedis Apostolicae aptus eligeretur<sup>40</sup>. Mense Iunio a. 1632 in oppidulo Wyszaków apud episcopum Plocensem Stanislaum Łubieński fuit, cum quo de rege futuro disputabat<sup>41</sup>. Simili modo primis diebus mensis Septembris eum Lovicii apud primatem Ioannem Wężyk morari videmus, cum quo de rebus civilibus Polonorum dissebat<sup>42</sup>. In comitiis electionis die 22 X celebratis orationem coram senatoribus et legatis habuit, in qua mandatu pontificis maximi eos hortabatur, ut Vladislaum Vasa regem eligerent<sup>43</sup>. Post regis electionem in exsequiis Sigismundi III uxorisque eius Constantiae, die 4 II a. 1633 Cracoviae celebratis, et in coronatione Vladislai IV, die 6 II ibi facta, interfuit.

Spatio quinque annorum et sex mensium, quo munus nuntii in Polonia explebat, multis in rebus versatus est. Consilia de rebus publicis agendis et de fide catholica conservanda ab eo capta, non solum ex Poloniae inter alias nationes loco et condicione, sed etiam ex multis rebus publicis et religiosis, in ea intercedentibus, oriebantur. Itaque Sophia Sułowska,

<sup>34</sup> Cfr. N. 113.

<sup>35</sup> Cfr. N. 182.

<sup>36</sup> Cfr. Seredyka, p. 113, 115-116.

<sup>37</sup> Cfr. N. 86.

<sup>38</sup> Die 30 IV rex mortuus est. Nuntius eum die 23 et 29 IV visitavit, cfr. Radziwiłł, p. 107, 111.

<sup>39</sup> Radziwiłł, p. 167-168.

<sup>40</sup> Kaczorowski SSA, p. 155-166 et idem, SKE, p. 40-42, 93, 290.

<sup>41</sup> Visconti ad Franciscum Barberini, Wyszaków, 16 VI 1632, or. AV, Nunz. Pol. 43 f. 144r-145r.

<sup>42</sup> Cfr. Visconti ad Franciscum Barberini, Lovitii, 8 IX 1632, or. AV, Nunz. Pol. 43 f. 237r, nec non litteras, Varsavia 16 IX 1632 datas, or. BV, Barb. Lat. 6585 f. 16r.

<sup>43</sup> Plenum titulum huius orationis vide in bibliographia. Orationi nuntii primas Poloniae Ioannes Wężyk respondit, cfr. Kaczorowski SSA, p. 165.

quamvis in parando opere suo solummodo documentis et actis typis editis nixa sit, tamen animum suum ad nonnullas res, quae nuntio imprimis cordi erant, merito rettulit. Haec i.a. enumeranda sunt: discidium inter "unitos" et orthodoxos, cogitatum matrimonium Vladislai IV cum Elisabeth, filia "protestantis" palatini Rheni Friderici, controversia inter Academiam Cracoviensem et Iesuitas de collegio sancti Petri, ab a. 1623 ab eisdem gubernato, intercedens<sup>44</sup>, negotia a nuntio tempore interregni et electionis gesta<sup>45</sup>. Animadvertendum etiam est Honoratum Visconti aliis quoque in rebus occupatum fuisse, v. gr. personam pontificis maximi in caerimoniis aulae regiae egisse et oratoribus publicis a rege excipiendis affuisse; etiam in octo comitiis, scil. a. 1631 (ordinariis), a. 1632 (extraordinariis, convocationis, electionis), a. 1633 (coronationis), a. 1634 (extraordinariis), a. 1635 (ordinariis et extraordinariis) interfuisse et de cursu eorundem ad Sedem Apostolicam rettulisse. Praeterea curae ei erat, ut Sanctam Sedem de omnibus novis, quae tempore illo in Polonia gerebantur, scil. de bello triginta annorum, in quo Poloni in partibus catholicorum stabant, de bello cum Moscovitis pro Smolensco annis 1633-1634 gesto, de bello cum Suecis pro terra "Wisłoujście", indutiis in Sztumska Wieś a. 1635 finito, tempestive certiores faceret.

Omnibus supra dictis nuntius naviter intentus erat et se in eisdem peritissimum praebuit; utrum haec ab eo facta et suscepta magnam vim ad res publicas et civiles gerendas haberent necne, haud facile aestimares. Iuxta instructiones ei Roma allatas id imprimis studuit, ut fidem catholicam in Polonia defenderet protegeretque. Sed alia quoque minoris momenti negotia aderant, quibus intercedere vel quae saltem diligenter observare debuit. Enumerari hic possunt: controversia inter monachos Ordinis Fratrum Minorum Conventualium annis 1630-1631 excitata, quaestiones ad unionem Armeniorum cum Ecclesia Romana pertinentes, conatus Sigismundi III ad pileum cardinalitium Ioanni Baptistae Lancellotti, annis 1622-1627 nuntio in Polonia, adipiscendum suscepti, discordiae inter Fratres Eremitas sancti Augustini et Iesuitas de monasterio in Reszel obortae, negotia denique Academiae in Alba Ducali, sumptibus Alexandri Ludovici Radziwiłł sustentatae, et alia.

Praeter res publicas, quibus Visconti occupatus erat, res etiam ecclesiasticae administrandae maximi erant momenti, quae tribunali et cancellariae nuntiaturae subiectae erant. Solummodo fragmenta actorum iudicialium ad annos 1634-1636 spectantium (quorum plura deleta sunt) ad tempora nostra asservata sunt, quae continent citationes ac mandata causas iudiciales agendi et sententias iudicum exigendi. Haec actorum fragmenta non sufficiunt, ut causas et alia negotia a nuntio iudici commissa et data integre cognoscamus. Actis autem gratiosis ad eadem tempora

<sup>44</sup> Cfr. Sułowska, p. 35-36; Załęski II, p. 241-346.

<sup>45</sup> Sułowska, p. 38-44.

pertinentibus et plene asservatis munera atque officia cancellarii et notariorum nuntii clarius illustrantur. Dispensationes a Sede Apostolica concessae imprimis ad conferenda beneficia ecclesiastica, ad relaxanda impedimenta ad ordines sacros et in contrahendis matrimoniis, ad licentias missam in domibus privatis celebrandi spectabant.

Tempore, quo Visconti munere nuntii fungebatur, duodeviginti processus informativos personarum ad episcopatus in Republica obtinendos nominatarum peregit. Ea, quae in his processibus informativis continentur, permittunt, ut auctoritas et potestas eius et administratorum ei adiunctorum magni aestimentur. Praeterea quinque relationes de personis, expensis et redditibus collegiorum pontificiorum Vilnae et Braunsbergae, a. 1630 et annis 1632-1635 ab eo conscriptae, ad Congregationem de Propaganda Fide missae erant<sup>46</sup>.

Non possumus ob plures fontes deperditos plene ac integre familiam, quam vocant, Honorati Visconti enumerare. Nam in commercio litterarum raro administri et adiutores eius commemorabantur, tantummodo eminentiores eorum nominatim occurrunt, praecipue ii, qui in rebus publicis administrandis versabantur, aut acta componebant, aut tamquam testes nomen suum his actis subscribebant. Dum munus nuntii explebat, Visconti auditorem habuit permanentem Franciscum Torre Lucensem, doctorem utriusque iuris et protonotarium apostolicum. Nuntius eum ad hoc munus iam ante diem 17 VI a. 1630 vocavit, cum Maceratae commoraretur<sup>47</sup>. Is itaque Franciscus, praeter munus ac officium iudicis, quod auditori gerendum erat, in comitiorum actis referendis et novitatibus, "avvisi" dictis, componendis saepe nuntium adiuvabat. Auditor etiam in sede nuntii Varsaviae (in monasterio Bernardinorum), in cellula prope cubiculum eius, habitavit<sup>48</sup>. Cancellarius nuntii (ita enim notarius nuntiaturae nominabatur) Alexander Barnabei, clericus abbatiae Farfensis in Sabina, fuit. Qui, praeter alia, processus informativos ab Honorato Visconti celebrandos componebat et signabat eos suo signo, in quo efficta erat manus, cuius palma serpentem amplectitur, et cuius parte inferiore primae litterae nominis eius A.B. conspici possunt<sup>49</sup>. Ipse etiam acta componebat, aut saltem curabat, ut componerentur, nec non in librum registorum "Gratiarum et Actorum Contentiosorum" referebat<sup>50</sup>. Notario absente, vices eius Philippus Multinus, "clericus civitatis Metensis", gerebat. Ille etiam acta signo suo proprio signabat, in quo herbae ac plantae ornate compositae, una cum cruce supra et inscriptione "Sic Virtute Florebo" infra posita, effictae sunt<sup>51</sup>. Munus primi secretarii Honorati Visconti Ioannes Baptista

<sup>46</sup> Cfr. N. 223 primam relationem.

<sup>47</sup> Cfr. N. 8.

<sup>48</sup> Cfr. N. 182.

<sup>49</sup> Cfr. AV, AC, Proc. Consist., ms. 28 f. 214v.

<sup>50</sup> Cfr. AV, Fondo Garampi 23 (Synopsis) f. 104c.

<sup>51</sup> Cfr. AV, Proc. Consist., ms. 32 f. 637v.

Rinalducci, Pisauriensis, gessit. Plures epistulae originales nuntii, manu eiusdem secretarii iam a fine mensis Iunii a. 1630 scriptae, legi possunt<sup>52</sup>. Ille etiam, Alexandro Barnabei vigilante, testimonia coram iudicibus prolata describebat et saepe ipse, sicut testis, eadem acta subscribebat. Alter secretarius nuntii, cuius nomen raro in actis occurrit, Antonius Franciscus Tempestini fuit<sup>53</sup>, qui etiam arte theatralli delectabatur et versus faciebat<sup>54</sup>. Praefectus domus eius erat Gavellus Gavelli, presbyter Ariminensis<sup>55</sup>, cuius erat Varsaviae et alibi hospitium ei parare<sup>56</sup>. Capellanus autem eius Thomas Maccioni, presbyter Recinatensis, fuit<sup>57</sup>. Franciscus Dionysii de Monte Cassino magister coquinae fuit<sup>58</sup>, adiutorem habens Michaelem Pranzoni<sup>59</sup>. Membra familiae nuntii, quae processibus informativis interfuerunt, i. a. Stanislaus Żerkowicz Cracoviensis, doctor utriusque iuris<sup>60</sup>, Franciscus Cavalchino Tortonensis et Ariellus Frisco Neapolitanus<sup>61</sup>, nobis nota sunt.

Tempore, quo Visconti munus nuntii explebat, in Poloniam venit nuntius extraordinarius, Hannibal Bentivoglio, qui filio Sigismundi III Ioanni Alberto, episcopo Cracoviensi, pileum cardinalis, a papa Urbano VIII ei concessum (die 20 XII a. 1632), apportavit. Quod ad eundem Bentivoglio attinet, notandum est rerum gestarum studiosos saepissime eum perperam pro cardinali Guidone Bentivoglio habuisse<sup>62</sup>. Hannibal iam die 22 XII a. 1632 cardinalem Antonium Santacroce certiore fecit se mox pileum cardinalis Ioanni Alberto traditurum esse<sup>63</sup>. Litteras credentiales die 9 I a. 1633 accepit<sup>64</sup> et exeunte mense Ianuario Vindobonam advenit<sup>65</sup>. Medio autem Februario iam in abbatia Tinecensi prope Cracoviam fuit, deinde in monasterium Eremitarum Camaldulensium in Monte Argenteo (Bielany), prope Cracoviam situm, se contulit, ubi cum Honorato Visconti congressus est<sup>66</sup>. Postridie Bentivoglio Cracoviae clam et privatim affuit<sup>67</sup>,

<sup>52</sup> Prima eius manu conscripta est epistula sub N. 17 reportata.

<sup>53</sup> Cfr. documentum ab eo subscriptum et adiunctum litteris ab Honorato Visconti ad Franciscum Ingoli missis, Ravennae, 3 VII 1638, cop. APF, SOCG, ms. 137 f. 228v.

<sup>54</sup> Cfr. Karolina Targosz, *Teatr dworski Władysława IV (1635-1648)* [De theatro aulico Vladislai IV (1635-1648)], Kraków 1965, p. 193 notam 62.

<sup>55</sup> Cfr. AV, Proc.Consist., ms. 32 f. 637v.

<sup>56</sup> Cfr. infra N. 113.

<sup>57</sup> Cfr. AV, Proc.Consist., ms. 32 f. 637v.

<sup>58</sup> Vide Kobenhavn, KB, Gammel Kongelig Samling Nr 703, f. 1r.

<sup>59</sup> Cfr. A. 2, p. 333.

<sup>60</sup> Cfr. A. 4, p. 394.

<sup>61</sup> Cfr. AV, Proc.Consist., ms. 32 f. 50r.

<sup>62</sup> Cfr. Radziwiłł, p. 290, notam 56. Haec quaestio tandem in vita Ioannis Alberti Vasa a Thadaeo Nowak, Polono rerum gestarum studioso, soluta est, cfr. *Polski Słownik Biograficzny* [Lexicon Biographicum Polonorum], T. 10, Wrocław 1962-1964, p. 422.

<sup>63</sup> Roma, AS, Arch.Santacroce, ms. 1200, sine foliatione.

<sup>64</sup> Cfr. AV, Ep. ad Princ. 47 f. 53r-65r.

<sup>65</sup> Bentivoglio ad Franciscum Barberini, 29 I 1633, BV, Barb.Lat. 6660 f. 13r.

<sup>66</sup> Bentivoglio ad Franciscum Barberini, e Monte Argentino, 16 II 1633, ut supra f. 19r.

<sup>67</sup> Cfr. ut supra, f. 19r.

die autem 26 II publice in urbem ingressus est<sup>68</sup>. Sollemnia, in quibus pileus cardinalis principi episcopo tradebatur, die 27 II et 4 III celebrata sunt<sup>69</sup>. Legatus pontificius in illa urbe breve tempus commorabatur<sup>70</sup>, et iam exeunte Martio, in Italiam rediens, Vindobonae constitit<sup>71</sup>.

Ex litteris, die 20 I a. 1635 a cardinali Francisco Barberini datis, Visconti cognovit successorem suum Marium Filonardi nominatum esse<sup>72</sup>. Id consilia a nuntio agitata mutavit, sed ab officio, quod ei peragendum erat, eum non absolvebat, nam iuxta mandatum Secretariatus Status munus suum, quod hactenus bene explevit, usque ad adventum successoris gerere debuit<sup>73</sup>. Die 1 III scripsit se litteras eius accepisse et advenientem Marium Filonardi exspectare<sup>74</sup>. Archiepiscopus Larissenus vix suspicabatur se, antequam expleto munere in Italiam rediturus esset, longius quam unum annum in Polonia mansurum esse. Quam ob rem relatio finalis, quae ad nuntiaturam eius pertinebat, iam medio a. 1635 ab eo conscripta est<sup>75</sup>. Interea vero Filonardi mense Iulio a. 1635 Vindobonam profectus est<sup>76</sup>, ubi a medio Augusto<sup>77</sup> usque ad 20 II a. 1636 versabatur<sup>78</sup>. Cracoviam die 29 II advenit<sup>79</sup>, Varsaviae iam die 20 III fuit<sup>80</sup> et die 21 III cum nuntio convenit<sup>81</sup>. Visconti autem Varsavia die 26 III discessit<sup>82</sup> et iam 3 IV Cracoviam pervenit<sup>83</sup>. Iuxta mandatum initio anni ab eo acceptum, ut post reditum suum in Italiam primum Ferrariam aut Anconam se conferret<sup>84</sup>, per Vindobonam et Pontebbam Imperialem iter fecit, et tandem die 29 V Ferrariam pervenit. Ineunte mense Iunio Forum Livii advenit, dimidio eodem mense iam Maceratae fuit<sup>85</sup>. Unde Romam se contulit, ut rela-

<sup>68</sup> Cfr. Radziwiłł, p. 290.

<sup>69</sup> Cfr. Radziwiłł, p. 290, 292.

<sup>70</sup> Bentivoglio ad Franciscum Barberini, Cracoviae, 9 III 1633, BV, Barb.Lat. 6660 f. 20r.

<sup>71</sup> Bentivoglio ad Franciscum Barberini, Vindobonae, 26 III 1633, ut supra, f. 21r.

<sup>72</sup> Cfr. AV, Nunz. Pol. 175 f. 99r-v.

<sup>73</sup> Cfr. ibidem f. 122r-v.

<sup>74</sup> Cfr. Barb.Lat. 6586 f. 228r.

<sup>75</sup> Relatio die 15 VII 1635 datata est. Hactenus viri docti putabant eam a. 1636 conscriptam esse (cfr. Rykaczewski II, p. 187, quem sequitur Sułowska, p. 91). Error factus est ob datum mendosum in exemplari a Ioanne Albertrandi confecto (cfr. Kraków BCz, ms. 2870 IV), quo usus est Erasmus Rykaczewski, nec non ob datum - 1 I a. 1636 in litteris, ei exemplari adiunctis, ascriptum et in a. 1637 mutatum. Hac re Sophia Sułowska nixa, opinata est Honoratum Visconti usque ad finem a. 1636 in Polonia commoratum esse. Ex supra dictis conici potest eam relationem medio a. 1635 scriptam, ineunte a. 1636 suppletam, Romae mense Iulio porrectam esse, cfr. AV, Misc. Arm. III 73 f. 4r.

<sup>76</sup> Barberini ad Honoratum Visconti, Romae, 28 VII 1635, min. BV, Barb.Lat. 6589 f. 116r.

<sup>77</sup> Filonardi ad Franciscum Barberini, Vindobonae, 18 VIII 1635, cop. BV, Barb.Lat. 6160 f. 55r-v.

<sup>78</sup> Baglioni ad Franciscum Barberini, Vindobonae, 23 II 1636, AV, Nunz.Div. 9 f. 118v.

<sup>79</sup> Filonardi ad Franciscum Barberini, Cracoviae, 7 III 1636, BV, Barb.Lat. 6160 f. 88r-90r.

<sup>80</sup> Visconti ad Franciscum Barberini, Varsaviae, 21 III 1636, or. AV, Nunz. Pol. 47 f. 273r.

<sup>81</sup> Filonardi ad Franciscum Barberini, Varsaviae, 21 III 1636, cop. BV, Barb.Lat. 6160 f. 91r-v.

<sup>82</sup> Cfr. supra, notam 80.

<sup>83</sup> Visconti ad Franciscum Barberini, Cracoviae, 4 IV 1636, or. BV, Barb.Lat. 6586 f. 230r.

<sup>84</sup> Barberini ad Honoratum Visconti, Romae, 2 II 1636, reg. AV, Nunz. Pol. 175 f. 122r-v.

<sup>85</sup> Cfr. Itinerarium.

tionem suam a. 1635 conscriptam<sup>86</sup> cardinali Francisco Barberini et summo pontifici coram porrigeret.

Iam tempore, quo munus nuntii in Polonia ipsi committebatur, anno 1630 Honoratus Visconti nominatus est abbas commendatarius abbatiae Sancti Barnabae in Gratosolio prope Mediolanum, quod beneficium usque ad mortem tenuit<sup>87</sup>. Post reditum in Italiam per aliquot annos nonnulla officia, cum administratione ecclesiastica coniuncta, a Sancta Sede ei demandata, absolvit. Itaque a. 1636 vicelegatus Ravennae factus est, quo munere usque ad dimidium annum 1640 fungebatur<sup>88</sup>. Eodem tempore commissarius et "visitor aquarum" Bononiae, Ferrariae et totius provinciae Romandiolae fuit<sup>89</sup>. Medio mense Iulio bona patria Salicetum adiit<sup>90</sup>, postea Mediolani consedissee videtur. Aliquot epistulae eius hac in urbe annis 1640-1644 conscriptae, nec non ultimae litterae die 21 IX a. 1644 ad pontificem maximum Innocentium X datae, ad nostros usque dies asservatae sunt<sup>91</sup>. Per omne vitae suae tempus nunquam oblitus est vinculorum, quibus cum possessione hereditaria Rhaudii prope Mediolanum sita iunctus erat. Ibi etiam in sanctuario Virginis Mariae Perdolentis, ante altare magnum, reliquias sancti Stanislai episcopi<sup>92</sup>, certe Cracovia apportatas, posuit<sup>93</sup>. Ultimis quoque vitae suae annis non semel in magno honore apud suos habebatur. Itaque cum a. 1638 apparuisset altera editio tractatus Nicolai Sabbatini, "Practica di fabricar scene e machine ne' teatri" inscripti, nuntio nostro dedicata est<sup>94</sup>. Ioannes Paulus Bianchi autem die 24 XI a. 1641 Mediolani imaginem Virginis Mariae Perdolentis de Rhaudio Honorato Visconti dedicavit, in qua etiam inscriptionem, vitam et opera eius

<sup>86</sup> Putari potest eum haec prima parte mensis Iulii fecisse, cfr. titulum, in quo ille commemoratur: "Relatione della Nuntiatura di Polonia fattasi [...] da Monsignor Visconti [...] nel Mese di Luglio 1636 in Roma", cop. AV, Misc. Arm. III 73 f. 4r et alia exemplaria.

<sup>87</sup> Duo maiores natu fratres eius prius eodem munere functi sunt: Hannibal (1598) et Ioannes Baptista (1601), cfr. Litta VIII, p. 272 et tabulam VII, cfr. etiam N. 267. 31 I 1634 Honoratus administrationem abbatiae fratri suo Petro Francisco tradidit, cfr. or. Milano, ASCBT, Arch. Visconti di Saliceto, caps. 34, n. 5.

<sup>88</sup> Epistulae Honorati Visconti ad card. Franciscum Barberini, Ravenna, Arimino et ex aliis oppidis provinciae Romandiolae 20 VII 1636 - 17 VI 1640 missae, in BV, Barb. Lat. 9142, f. 16r-71r inveniuntur. Nominationem adeptus est 20 VII 1636, cfr. or. Milano, ASCBT, Arch. Visconti di Saliceto, caps. 33, n. 8.

<sup>89</sup> Cfr. Litta, p. 272. In BV, Borg. Lat. 885 in "Catalogo de' Legati e Presidenti della provincia di Romania ed esarcato di Ravenna", in f. 114v Honoratus Visconti "Presidente" appellabatur.

<sup>90</sup> Visconti ad Franciscum Barberini, Saliceti, 12 VII 1640, or. BV, Barb. Lat. 9142 f. 72r.

<sup>91</sup> Or. Roma, ADLP, Archiviolo, ms. 138, fasc. 2 f. 84r-v.

<sup>92</sup> Cfr. *Visitatio Plebis Rhaudi ab Em. mo et Rev. mo D.D.S.R.E. presbitero card. Tit. S. Mariae Supra Minervam, Ioseph Puteobonello, Sanctae Mediolanensis Ecclesiae Archiepiscopo, mense Martio peracta Anno Domini MDCCLV*, in Archivo Dioecesano Mediolanensi, 13-1 f. 111 asservatam.

<sup>93</sup> Cum ille una cum Vladislao IV, nuper rege nominato, et episcopo Cracoviensi Ioanne Alberto Vasa in apertione sepulcri sancti Stanislai interfuisset, reliquias eius die 23 III a. 1633 accipere potuit, cfr. Kraków, AKM, AA 13, f. 102r-v.

<sup>94</sup> In initio tractatus, versus Antonii Francisci Tempestino, olim secretarii Honorati Visconti in Polonia, impressus est, quo conatus et nisus nuntii in persequenda electione Vladislai IV facti laudabantur, cfr. Targosz (ut supra in nota 54), p. 193, notam 62.

laudantem, collocavit<sup>95</sup>. Subsequens editio operis Historiae gentis Visconti, a. 1645 Mediolani impressi, etiam archiepiscopo Larissenso est dedicata<sup>96</sup>. Una tantum imago Honorati Visconti, postremis certe vitae eius annis depicta et litteris "I. P. Blancus. Inc. Mediolani" subscripta, nobis nota est<sup>97</sup>.

Annis 1636-1645 non pauci conatus capti sunt, ut Honoratus Visconti pileo cardinalis insigniretur. Iam enim tempore, quo munere nuntii in Polonia fungebatur, rex Vladislaus IV magnopere studuit, ut summus pontifex Urbanus VIII sacra purpura eum ornaret<sup>98</sup>. Sed rex Poloniae, frequentiore commercio epistularum cum Sede Apostolica habito, id, quod voluit, non est consecutus<sup>99</sup>. In consistorio die 16 XII a. 1641 celebrato Visconti ad dignitatem cardinalis non est proventus, in quo purpura ornabantur i. a. Horatius Giustiniani, episcopus Montis Alti, a rege Hispaniae commendatus, et Iulius Mazzarini a rege Galliae postulatus<sup>100</sup>. Frustra etiam a rege Vladislao conatus capti sunt, ut ille a novo papa, Innocentio X, ad cardinalatum promoveretur. Multae erant causae, ob quas archiepiscopus Larissenus ad hanc dignitatem nominatus non est. Quae non oriebantur solum ex decretis Concilii Tridentini et ex bulla Pii IV, cuius vigore prohibebatur gratiam vel favorem principum pro nuntio petere<sup>101</sup>. Opera enim et studio factionis Gallicae factum est, ut Mediolanensis, imperio Hispanico illo tempore subditus, cardinalis nominatus non sit. Opiniones de auctoritate et viribus regis Vladislai IV inter nationes Europae deminutis summum

<sup>95</sup> Haec imago Mediolani, in Civica Raccolta Betarelli, invenitur; infra imaginem inscriptio Honorato Visconti dedicata conspicitur. Cfr. Airaghi, p. 18.

<sup>96</sup> Cfr. *Le Vite dei dodici Visconti, che signoreggiarono Milano, descritte da Monsignor Paolo Giovio, vescovo di Nocera [...]. In Milano [...] MDCXLV*. In pagina interiore huius operis, infra imaginem Honorati elogium legitur: "All' Illustrissimo e Reverendissimo Signore e Patrone Colendissimo Monsignor Honorato Visconti, Arcivescovo di Larissa, Abbate di S. Barnaba in Gratasolio, prelato Assistente di Sua Santità, conte di Saliceto e di Rho, Signor di Basaluzzo, Castelspina etc."

<sup>97</sup> In opere *Le vite...* (cfr. supra), quod Honorato dedicatum est, imago eius invenitur, et infra eandem inscriptio legitur: "Anguingerae geminata satis per facta parentum. Et diffusa diu Gloria stirpis erat. Nunc in Honorato, cunctas qui servat Avitas Pectore virtutes, conglomerata riget, "Inscriptio haec est exemplar inscriptionis originalis, quod adhuc ineunte saeculo XX in Archivio Visconti in Cernusco sul Naviglio inveniebatur, cfr. Tencajoli, p. 114 (ibi etiam copia photographica imaginis eius, quae picta in hoc archivio servabatur).

<sup>98</sup> Haec demonstrant litterae, ab Honorato Visconti ad Vladislaum IV 10 IX 1634 missae, quibus nuntius regem rogat, ut hoc conatu desistat (ex Arch. Teatinorum Neapolitano). Cfr. etiam litteras Vladislai IV ad papam Urbanum VIII missas, Torunii, 20 I 1636, Wyhowska, p. 5-6. Pleraque documenta et informationes, quae ad dignitatem cardinalis Honorato Visconti conferendam pertinent, in copiaro AV, Misc.Arm.III 34 f. 286r-337v (passim), nec non in AV, Nunz.Pol. Add. 3, fasc. 1, inveniuntur. Copiosum epistularum commercium ad hoc negotium pertinens servatur Mediolani ASCBT, Arch.Visconti di Saliceto, caps. 34, n. 19 et 20, caps. 35, n. 1 a-k.

<sup>99</sup> Cfr. Wyhowska, p. 6-9; litterae nomine Vladislai IV ad papam Urbanum missae, sine dato, quarum exemplaria in multis archivis dispersa sunt, i.a. in Archivio Septimancensi, (Estado), leg. 3354 n. 72 ("Xerocopia" a Petro Airaghi nobis humaniter concessa).

<sup>100</sup> Ibi argumenta pro episcopo Montis Alti, Horatio Giustiniani, et Iulio Mazzarini ad cardinalatum provehendis exponuntur et causae, ob quas nuntius Visconti nominationem ad cardinalatum non obtinuit, explicantur, cfr. Wyhowska, p. 9-10.

<sup>101</sup> Cfr. N. 94.

pontificem adegerunt, ne sententiam eius de Honorato nominando sequeretur<sup>102</sup>.

Visconti Mediolani, fortassis in Gratosolio aut Rhaudii, die 7 VII a. 1645 mortuus est<sup>103</sup>. Sepulcrum eius Rhaudii in ecclesia, hodie non exstante, Ordinis Fratrum Minorum Capucinatorum fuit<sup>104</sup>. Solummodo exemplar epitaphii, nobis notum est:

### D.O.M.

ADESTO QUI CERNIS MORARE ET MIRARE  
HONORATAM VICECOMITIS HUMILITATEM  
HIC ET ARCHIEPISCOPATUM QUO EMINEBAT  
ET PURPURAM QUAE IMMINEBAT PARVIPENDENS  
INTER FRATRES RHAUDII HUMILITER HUMARI  
HONORATI[Q]US DUXIT  
TU AB HONORATO ET NOMINE ET GENERE  
SEU MAGIS VIRTUTE  
HUMANOS DISCE HONORES CONDEMNARE<sup>105</sup>

Excerpta de testamento a Visconti die 14 VIII a. 1629 conscripto, quo bona in Rhaudio ad fundandam basilicam Mariae Virginis Perdolentis, pauperes huius oppidi alendos et nepotem eius Herculem Visconti, filium Petri Francisci, tuendum legabantur, asservata sunt<sup>106</sup>. Etiam libri rationum abbatae sancti Barnabae in Gratosolio, cuius beneficium post mortem Honorati biennio cardinalis Camillus Pamfili tenebat, nec non litterae, quibus Honoratus bona sua basilicae in Rhaudio, incolis eiusdem oppidi et Herculi Visconti possidenda legavit, a nobis inventa sunt<sup>107</sup>. Hercules, filius maioris natu fratris Honorati, Petri Francisci, heres nominis et possessor omnium bonorum familiae Visconti, comitum Saliceti, factus est<sup>108</sup>.

<sup>102</sup> Haec saepe tractabantur, cfr. Siri, p. 496, 498; Volpi, p. LVI, (additamenta ad p. 389); Ciampi, p. 73-77; Kybal-Incisa, p. 75, 259; Bartoszewicz, p. 231; Załęski II, p. 365, 426-428, 504; Sułowska, p. 91-93; Serwański, p. 337.

<sup>103</sup> Cfr. Roma, ADLP, Archiviolo, ms. 142, fasc. 2 f. 269r.

<sup>104</sup> Cfr. Argelati, p. 1608. Monasterium et sepulcrum Honorati Visconti temporibus Napoleonis penitus deleta sunt, cfr. [Airaghi], *Onorato Visconti, un grande rhodense d'adozione: nobile monsignore del '600, "ministro" del Papa in Polonia*, "Settegiorni", 25 aprile 1987, p. 7.

<sup>105</sup> Cfr. Argelati, p. 1609-1610.

<sup>106</sup> Exemplar, a Ioanne Baptista Rainiero 31 XII 1764 scriptum, cfr. Milano, AS, Fondo Religione, Parte Antica, Anno 1764, cart. 2747. Cfr. etiam Eugenio Cazzani, *L'Archivio Plebano in Rho*, Saronno 1960, p. 273.

<sup>107</sup> Cfr. Roma, ADLP, Archiviolo, ms. 142, fasc. 2 f. 269r-321v.

<sup>108</sup> Cfr. Litta VIII, p. 272-273.

## 2. Fontes ad munus nuntii Honorati Visconti pertinentes

Commercium epistularum et acta, operam et vitam Honorati Visconti, nuntii in Polonia, illustrantia, per varias bibliothecas et tabularia dispersa et dissipata sunt. Tabularium privatum nuntii, post eius mortem archivo familiae Visconti de Saliceto insertum, servatur nunc in **Archivio Storico Civico** penes Bibliothecam Trivultianam (**Biblioteca Trivulziana**) Mediolani (ASCBT, Archivio Visconti di Saliceto, sub voce "Onorato di Ercole", inde a media capsula 33 usque ad dimidiam partem capsulae 35)<sup>109</sup>. Infeliciter tamen accidit, ut in eo servarentur praecipue diplomata originalia, ad promotiones Honorati ad varios honorum gradus pertinentia, inde a diplomate studiorum a. 1602 absolutorum usque ad litteras consolatorias, post mortem eius, quae mense Augusto a. 1645 supervenit, ad familiares missas (caps. 33, fasc. 7 a-u; caps. 35, fasc. 1 a-l; scripta haec ad conatus in Polonia dignitatis cardinalitiae Honorato impetrandae causa susceptos potissimum spectant).

Pauca tantum scripta ad nuntiaturam Poloniam Honorati pertinent: 1) omnia originalia documenta pontificia, ad nominationem eius in nuntium spectantia: breve nominationis 19 VI 1630 a. datum, litterae passus, facultates, instructio prima (caps. 33, fasc. 7 v-bb); 2) brevia originalia Urbani VIII annis 1630-1632 ad varios dignitarios Polonos data, cum cogitata principis Vladislai in regem Poloniae patre vivente electione coniuncta, nunquam certo iisdem dignitariis ad manus tradita (caps. 33, fasc. 7 ee); 3) valde pretiosum diarium itineris nuntii Ancona in Poloniam 21 VIII 1630-25 I 1631 confecti et elenchus rerum a nuntio, cum in Poloniam proficisceretur, in Italia relictarum (caps. 33, fasc. 7 cc-dd); 4) registra, quae continent apographa in cancellaria nuntii confecta: a) epistularum regis ad nuntium pontificium e supra nominatis originalibus exscriptarum (caps. 34, fasc. 1, partes 1-2); 5) 2 originalia scripta nuntii, annis 1631 et 1634 confecta, nunquam expedita, et oratio eius in Comitii electionis a. 1632 habita, Varsaviae typis edita (caps. 34, fasc. 2-3); 6) 3 originales epistulae card. Ioannis Baptistae Sfondrati a. 1631 et 2 aepe Gnesnensis, Ioannis Węzyk, a. 1632 ad nuntium datae (caps. 34, fasc. 16-17); 7) originales litterae salvi conductus seu liberi passus, in membrana exaratae, a Vladislao IV a. 1635 nuntio in Italiam redeunti datae (caps. 34, fasc. 6).

Deest tamen in hoc tabulario praecipua maximique momenti pars actorum nuntiaturae Honorati Visconti in Poloniae expletae: scil. eius epistularum commercium cum Secretariatu Status, cum congregationibus

---

<sup>109</sup> Hic debitas gratias agere liceat Doctori Petro Airaghi, Custodiae Antiquitatum Longobardiae Honorario Inspectori, qui nobis hoc tabularium benigne significare voluit et Institutum Historicum Polonicum Romae humaniter adiuvit in comparandis xerocopiis, quas vocat, documentorum, quae in edendo hoc et apparandis futuris nuntiaturae Honorati Visconti dedicatis voluminibus magno certe nobis usui erunt.

Romanis, cum aula regia et proceribus Polonia (exceptis scriptis et epistulis supra nominatis). Quae res corroborare videtur opinionem, iuxta quam ea pars tabularii nuntii nostri in Polonia remansit et usque ad supremum omnium gentium bellum, donec incendio deleta esset, Varsaviae in Bibliotheca Ordinationis Zamyoscianae servabatur<sup>110</sup>. Libri actorum contentiosorum, qui olim in Archivo Nuntiaturae Varsaviae custodiebantur, a. 1944 incendio deleti sunt<sup>111</sup>. Unum ex duobus registris actorum gratiosorum in Tabulario Vaticano servatorum etiam evanuit<sup>112</sup>.

Quamvis permulti fontes deperditi sint, maior tamen pars commercii litterarum inter nuntium et secretarium status intercedentis ad nostra usque tempora asservata est. Plurima acta et documenta ad nuntiaturam eius pertinentia in **Tabulario Vaticano** servantur. Magna pars eorum in collectione **Nunziatura di Polonia** invenitur, in qua commercium litterarum nuntii, cum secretario status Francisco Barberini annis 1630-1636 habitum, in voluminibus membrana molli ligatis et bene asservatis custoditur:

- Ms. 42A, ff. 433, in dorso inscriptio: "Lettere del nuntio in Polonia, 1630-1631. Card. Santacroce e Mons. Visconti (copiato)". In f. 68r epistulae originales et novitates ("avvisi"), a nuntio a 17 VI 1630 ad 27 XII 1631 conscriptae, incipiunt; praeterea huic volumini aliae epistulae originales et exemplaria actorum annexa exstant.

- Ms. 43, ff. 348, in dorso inscriptio: "Lettere del nuntio di Polonia. Mons. Visconti"; continet epistulas originales et novitates, a nuntio a 3 I ad 31 XII 1632 compositas, inter eas in f. 270r, 285r, 286r, 287r epistulas, a 24 X ad 6 XI 1631 scriptas; praeterea aliae epistulae originales et exemplaria actorum eis annexa sunt.

- Ms. 44, ff. 66, in dorso inscriptio: "Cifre di Polonia dalli 19 Ottobre 1630 per tutto Luglio 1632. Mons. Visconti"; volumen hoc complectitur registrum epistularum "decifrarum" ab Honorato Visconti, a 21 XI 1630 ad 28 V 1632 scriptarum, et registrum epistularum notis secretioribus a

<sup>110</sup> Cfr. Kantak BP I et FP I, ubi in fontium indicibus vox "Archivio Visconti di Saliceto" occurrit. Kantak aliquot epistulas Sigismundi III, ad Honoratum Visconti a. 1630 missas, affert et enumerat signaturas ex Tabulario Bibliothecae Ordinationis Zamoysciana cod. 50A, n. 9, 36, 42, 98, cfr. Kantak FP II, p. 139, 184. Meminit etiam epistolam Vladislai IV ad Honoratum Visconti a. 1634 datam, cfr. Kantak, BP II, p. 93, notam 103 (olim BOZ, 50A n. 199). Obiter notandum est acta et documenta huius bibliothecae, numeris 1-814 signata, Varsaviae tempore alterius omnium gentium belli deleta esse, cfr. Horodyski, p. 326. Inventaria typis impressa non fuerunt, catalogi autem manuscriptorum incendio deleti sunt.

<sup>111</sup> Haec acta in Archivo Principali Actorum Antiquorum, in serie Archivum Nuntiaturae, continebantur in codicibus:

- 11, ff. 344, registrum actorum contentiosorum a 2 X 1630 usque ad 22 XII 1631;
- 12, ff. 238, registrum actorum contentiosorum a 7 I 1632 usque ad 28 VI 1632;
- 13, ff. 378, registrum actorum contentiosorum a 4 I 1633 usque ad 22 IX 1634;
- 14, ff. 511, registrum actorum contentiosorum a 8 I 1635 usque ad 20 II 1636.

Aliqua de chronologia affert Garampi, AV, Fondo Garampi 23 (Synopsis) f. 104c.

<sup>112</sup> Haec olim inveniebantur in Arch. Nuntiaturae Varsaviensis ms. 167, cfr. Meysztowicz, p. 83.

Francisco Barberini ad eum a 19 X 1630 ad 31 VII 1632 datarum; in f. 3r-6v, 8r-12v instructiones ad nuntium destinatae inveniuntur.

- Ms. 45, ff. 126, in dorso inscriptio: "Cifre di mons. nuntio in Polonia da Giugno per tutto Dicembre 1632. Mons. Visconti"; continet epistulas notis secretioribus exaratas et epistulas "decifratas", a nuntio a 23 VI ad 31 XII 1632 missas, nec non minutas epistularum notis arcanis a Francisco Barberini Honorato Visconti datarum, a 7 VIII ad 25 XII 1632 conscriptarum.

- Ms. 46, ff. 196, in dorso inscriptio: "Cifre di mons. nuntio di Polonia del 1633. Mons. Visconti"; continet epistulas secretioribus notis conscriptas et epistulas "decifratas", a nuntio a 27 I ad 1 X 1633 compositas, nec non minutas epistularum secretioribus notis a Francisco Barberini, a 1 I ad 17 XII 1633 scriptarum; in f. 1r epistula originalis die 27 X 1632 a nuntio Visconti conscripta, invenitur. Huic volumini etiam exemplaria actorum a. 1632 editorum annexa sunt.

- Ms. 47, ff. 572, in dorso inscriptio: "Nuntio di Polonia, 1634, 1635, 1636, 1637, 1638, 1639, 1640. Mons. Visconti e mons. Filonardi, nunzii"; in f. 2r-273r, 373r inveniuntur epistulae originales, a nuntio Visconti a 7 I 1634 ad 21 III 1636 scriptae; epistulae autem ab eo in itinere in Italiam conscriptae, in f. 287r, 290r, 298r, 300r, 301r, 309r leguntur. Huic volumini epistulae originales, et exemplaria actorum adiuncta sunt. In f. 274r epistulae originales a nuntio Mario Filonardi a 23 VI 1635 ad 19 X 1639 conscriptae, incipiunt.

- Ms. 48, ff. 63, in dorso inscriptio: "Polonia. Cifre, l'anno 1634 sino al 1636. Mons. Visconti"; continet registrum epistularum "decifratarum", a nuntio a 16 X 1634 ad 19 IV 1636 scriptarum, et registrum epistularum notis secretioribus, a Francisco Barberini a 18 XI 1634 ad 2 II 1636 conscriptarum.

- Ms. 174A, ff. 193, in dorso inscriptio: "Alli monsignori Lancellotto e S. Croce, Lettere di Roma in Polonia, 1623 per tutto 1631"; in f. 3r-166r registrum epistularum Francisci Barberini, ad nuntios Ioannem Baptistam Lancellotti et Antonium Santacroce annis 1623-1629 missarum, servatur; a f. 166r incipit registrum epistularum ad H. Visconti a 5 X 1630 ad 27 XII 1631 missarum.

- Ms. 175, ff. 156, in dorso inscriptio: "Lettere di Roma a Polonia l'anno 1632 per tutto 1637"; in f. 3r-130v registrum epistularum ad Visconti, a 3 I 1632 ad 24 V 1636 datarum, servatur; a f. 130v registrum epistularum, ad nuntium Marium Filonardi missarum, legitur.

- Ms. 177, ff. 46, in dorso inscriptio: "Cifre di Roma in Polonia. 1634"; continet registrum epistularum "decifratarum" Honorati Visconti, a 7 I ad 9 X 1634 scriptarum, et registrum epistularum, notis secretioribus a Francisco Barberini a 21 I ad 28 X 1634 conscriptarum; praeterea in registro aliqua additamenta, una cum commercio litterarum missa, inveniuntur.

- Ms. 192, ff. 138; volumen a vermibus deletum, nonnullis locis parum legibile, chartae atramento inquinatae et lituris plenae; in dorso inscriptio: "Minute di lettere scritte al nunzio in Polonia, dall'1611 all'1614 e dall'1631 all'1633"; in f. 1r-17v continentur minutae epistularum card. Scipionis Borghese, ad nuntios Franciscum Simonetta et Laelium Ruini annis 1611-1614 datarum; a f. 18r minutae litterarum Francisci Barberini ad nuntium Visconti, a 15 XI 1631 ad 8 IV 1634 scriptarum, incipiunt; multae etiam lacunae in hoc commercio epistularum conspiciuntur.

- Ms. Add. 3, sine foliatione; continet 5 laxos fasciculos in compactura chartacea asservatos; fasciculus 1 complectitur acta et exemplaria epistularum de conatibus a Vladislao IV Vasa ad pileum cardinalis Honorato Visconti adipiscendum annis 1636-1644 susceptis, fasciculus autem 2 habet i. a. 15 epistulas originales nuntii Visconti ad Cosmum de Torres, card. protectorem Regni Poloniae, a 10 IV 1631 ad 6 V 1634 datas.

Praeterea in volumine 372 (sine foliatione) unae litterae originales, ab Honorato Visconti ad cardinalem Franciscum Barberini 23 I 1632 datae, asservantur.

In serie **Archivio della Nunziatura di Varsavia** custoditur volumen 166, ff. 129 constans, viridi membrana ligatum, ex parte deletum, multis in locis parum perspicuum; in dorso inscriptio: "Expeditiones anni 1634-1635" et in folio ante textum legitur: "Registrum expeditionum Annorum 1634-1635. Ill.mus ac Rev.mus Dominus Comes Honoratus Vicecomes, Dei et S. Sedis Apostolicae gratia Archiepiscopus Larissenus et in incliti Poloniae Regni Ditionibus cum facultatibus Legati a latere Nuntius Apostolicus". Infra textum haec leguntur: "Alexander Barnabeus, Clericus Pharensis, Curiae Causarum Notarius Cancellarius". Hoc est registrum actorum gratiosorum cum actis contentiosis, a 19 VII 1634 ad 4 III 1636 conscriptis, permixtorum; in f. 127r-129v reliquiae registri actorum gratiosorum nuntii Ioannis de Torres a. 1646 servantur.

In collectione **Miscellanea Armaria** duo exemplaria relationis finalis, ab Honorato Visconti confectae, asservata sunt. Primum exemplar, quod est proximum relationi originali, complectitur integrum volumen signatum Misc. Arm. III 73, 59 foliis constans; membrana molli ligatum, bene asservatum, valde perspicuum et una eademque manu exaratum; in compactura signatura vetus legitur: "44a" et in f. 4r: "Relatione della Nunziatura di Polonia fattasi All'Eminentissimo e Reverendissimo Signor Cardinal Barberino da Monsignor Visconti, Arcivescovo di Larissa nel Mese di Luglio 1636 in Roma"; in f. 5r-55v textus relationis, cuius datum perperam scriptum est 15 VII a. 1636, invenitur; in f. 55v-58v exemplar litterarum nuntii, ad Franciscum Barberini 1 I 1636 datarum, servatur. Alterum autem exemplar in volumine Misc.Arm. II 115, in f. 237r-355v custoditur, quod verisimiliter ex exemplari praecedente confectum est.

Inter non parvi momenti documenta, quae in appendicibus singulorum voluminum editionis collocantur, numeranda sunt acta processuum nominatorum ad episcopatus. Ipse Visconti 18 tales processus informativos annis 1631-1636 celebravit. Eorum acta in serie Archivi Consistorialis, **Processus Consistoriales** dicta, inveniuntur in voluminibus: 28 (acta 2 processuum ex a. 1631); 30 (acta 1 processus ex a. 1632); 32 (acta 5 processuum ex annis 1631-1633); 33 (acta 7 processuum ex annis 1633-1635); 34 (acta 1 processus ex a. 1636); 35 (acta 1 processus ex a. 1636); 37 (acta 1 processus ex a. 1635). Haec omnia acta ad processus curiales peragendos utiles fuerunt, quod subscriptiones cardinalis relatoris et trium aliorum relatorum testantur.

In collectione **Epistolae ad Principes** exemplaria brevium pontificiorum, i. a. ad nuntios datorum, servantur. In nostra editione rationem habuimus brevium ex voluminibus:

- Ms. 44; ubi in f. 227v-240r inveniuntur litterae credentiales et commendatitiae ab Honorato Visconti in Poloniam se conferente 15 VI 1630 acceptae.

- Ms. 47; ubi in f. 53r-65r reperiuntur litterae credentiales ad nuntium extraordinarium Hannibalem Bentivoglio, pileum cardinalis Ioanni Alberto Vasa apportantem, 9 I 1633 datae.

In registro **Secretariatus Brevium**, ms. 763 in f. 349r-356r, sub dato 18 et 19 VI 1630, inveniuntur facultates Honorato Visconti datae.

In collectione **Fondo Pio** in volumine 73, in f. 13v-517v passim, 48 minutae epistularum Malatestae Baglioni, nuntii Vindobonensis, ad Honoratum Visconti a 12 XII 1634 ad 26 XII 1635 missarum, et unae litterae ad Ioannem Baptistam Rinalducci, eius secretarium, datae asservantur. Praeterea minutae epistularum Malatestae Baglioni ad Honoratum Visconti datarum custodiuntur in voluminibus: 72 (1 ex a. 1636); 74 (2 ex a. 1635); 77 (4 ex a. 1636). In registro, ms. 101, leguntur 9 epistulae Mauricii Pio, cardinalis Sabaudiae, ad eundem nuntium nostrum a 6 III 1632 ad 24 III 1633 datae. In ms. 244, exemplar litterarum Visconti ad Franciscum Vitelli, nuntium Venetiis, missarum servatur.

In serie **Nunziature Diverse** commercium litterarum, inter Malatestam Baglioni et Honoratum Visconti habitum, custoditur in voluminibus: 9 (1 epistula Malatestae Baglioni ex a. 1636); 11 (exemplaria epistularum eiusdem Baglioni ex annis 1635 et 1636); 12 (3 litterae "decifratae" nuntii ex a. 1635 et 2 litterae "decifratae" Baglioni ex annis 1635 et 1636).

In collectione **Fondo Borghese**, in registro signato III 30, inveniuntur 7 epistulae cardinalis Scipionis Borghese ad Honoratum Visconti, a 3 VII 1630 ad 16 VIII 1631 missae.

Praeterea singulae epistulae nuntii nostri in collectionibus **Nunziatura di Venezia**, ms. 59B, et **Nunziatura di Germania**, ms. 131G, a nobis repertae sunt.

Explorationes in **Bibliotheca Vaticana** a nobis factae, imprimis in serie **Barberini Latini**, maximos fructus attulerunt. Itaque commercium litterarum inter nuntium et cardinalem Franciscum Barberini, quo in hac editione comparanda nixi sumus, custoditur in voluminibus (plerumque bene asservatis):

- Ms. 6159, ff. 126, una manu exaratum, restauratum, linteo compactum, cum dorso membranaceo, in quo legitur: "Polonia. 1630 [e] 1631"; in integumento interiore signatura vetus exstat: "LXIX. 66"; in f. 1r scriptum legitur: "Lettere del Cardinal Santa Croce e poi Lettere di Monsignor Honorato Visconti, Arcivescovo di Larissa, Nuntio in Polonia l'anni 1630 e 1631"; hoc est copiarium epistularum a nuntio Antonio Santacroce, eius auditore Cypriano Bardini et Honorato Visconti (incipit a f. 23r) annis 1630-1631 scriptarum, cum epistulis originalibus in AV, Nunz.Pol. 42A servatis congruentium, de quibus supra dicitur.

- Ms. 6160, ff. 222, una manu exaratum, compactum; in dorso inscriptio: "Polonia 1634-1639" et signatura vetus "LXIX. 67"; hoc est copiarium epistularum nuntii annis 1634-1636 scriptarum (f. 1r-92r) et epistularum Marii Filonardi, cum epistulis originalibus in AV, Nunz.Pol. 47 servatis congruentium, de quibus supra dictum est.

- Ms. 6226, ff. 236 (a f. 197r paginatio duplex), compactum, una manu exaratum; in dorso inscriptio: "Al Nunzio di Polonia 1623. 1631." et in folio ante textum legitur: "Registro di lettere al Nuntio di Polonia dalli 14 Ottobre 1623 fin tutto 1631"; hoc est copiarium epistularum ad nuntios Ioannem Lancellotti, Antonium Santacroce, Honoratum Visconti (a f. 195v annis 1630-1631) missarum, quod congruit cum registro epistularum in AV, Nunz.Pol. 174A, servatarum, de quo supra sermo fit.

- Ms. 6227, ff. 207; volumen restauratum, linteo compactum, habet cornua et dorsum membranaceum, in quo inscribitur: "Barberino ai Nunzi in Polonia 1632-37"; hoc est copiarium epistularum ad Honoratum Visconti, a 3 I 1632 ad 24 V 1636 datarum, quae in f. 1r-44r, 54r-93v, 95r-133v, 135r-175r reperiuntur; a f. 147v permixtae sunt eis epistolae ad Mariam Filonardi, a 28 VII 1635 ad 26 XII 1637 missae. Quae in hoc volumine continentur, chronologice congruunt cum registro commercii litterarum in AV, Nunz.Pol. 175, servatarum, de quo iam supra dictum est; in copiarium autem 122 epistolae Francisci Barberini ad nuntium datae servantur, quae in registro desunt.

- Ms. 6585, ff. 254, membrana ligatum, bene asservatum, nonnulla folia habet deleta, in dorso inscriptio: "Polonia. Visconti 1630-1633. Lettere in piano" et signatura vetus "LXXVI. 27"; continet epistulas originales et novitates ("avvisi") a nuntio a 23 VIII 1630 ad 29 XII 1633 scriptas, nec non epistulas ab eo ad card. Thaddaeum Barberini, card. Ludovicum Ludovisi et nuntium Venetiis, Franciscum Vitelli, datas.

- Ms. 6586, ff. 246, membrana ligatum, cum inscriptione in dorso: "Polonia. Visconti 1634-1636 etc. Lettere in piano" et signatura vetere "LXXVI. 28"; continet epistulas originales et novitates ("avvisi") nuntii, a 7 I 1634 ad 4 IV 1636 exaratas, et 4 epistulas eiusdem Mediolani annis 1641-1644 conscriptas.

- Ms. 6587, ff. 209, membrana ligatum, in dorso inscriptio: "Polonia. Visconti 1630-1632. Cifre" et signatura vetus legitur: "LXXVI. 29"; complectitur epistulas secretioribus notis exaratas et litteras "decifratas" a nuntio, a 21 XI 1630 ad 28 V 1632 conscriptas, nec non minutas cifrarum Francisci Barberini, a 19 X 1631 ad 31 VII 1632 compositorum; in f. 1r-7r minuta instructionis Honorato Visconti destinatae invenitur. Hoc volumen chronologice cum registro in AV, Nunz.Pol. 44, servato congruit, de quo supra dictum est.

- Ms. 6588, ff. 264, membrana dura ligatum; in dorso inscriptio: "Polonia. Visconti 1634. Cifre" et signatura vetus legitur "LXXVI. 30"; continet epistulas arcanis notis exaratas et litteras "decifratas", a nuntio a 7 I ad 25 XII 1634 compositas, et minutas litterarum secretioribus notis a Francisco Barberini a 21 I 1634 ad 30 XII 1634 conscriptarum, nec non aliqua additamenta. Quae in hoc volumine continentur, cum registro in AV, Nunz.Pol. 177 servato, de quo iam supra dictum est, plerumque concordant.

- Ms. 6589, ff. 235, linteo ligatum, restauratum, cornua et dorsum membranaceum habet; in integumento interiore pars veteris dorsi agglutinata, in quo inscribitur: "Polonia. Visconti. 1635-1636. Cifre. 6589" (lapide scriptorio exaratum est) et signatura vetus "LXXVI. 31"; complectitur epistulas arcanis notis scriptas et litteras "decifratas" a Visconti, a 1 I 1635 ad 19 IV 1636 compositas (folia inscriptionis et sigilla bene asservata), nec non minutas litterarum secretioribus notis a Francisco Barberini eidem nuntio, a 13 I 1635 ad 2 II 1636 conscriptarum. Quae in hoc volumine continentur, congruunt plerumque cum registro in AV, Nunz.Pol. 48 servato, de quo supra dictum est.

- Ms. 6598, ff. 347, membrana ligatum, in dorso inscriptio: "Polonia. Avvisi 1635-1643" et signatura vetus "LXXVI. 40"; in f. 1r-6v continet 6 novitates ("avvisi") nuntii Visconti, a 25 III ad 27 VIII 1635 confectas, et a f. 7r novitates ("avvisi") a Mario Filonardi annis 1635-1643 conscriptas.

Etiam in eadem serie asservantur in ms. 6064 exemplar litterarum Honorati Visconti ad Franciscum Vitelli, nuntium Venetiis, a. 1633 datarum; in ms. 6250 tres epistulae Francisci Barberini ad nuntium Visconti, a VI ad VIII 1630 missae inveniuntur et (in f. 16v-17r) epistula die 20 IV conscripta, ad nominationem eius ad munus nuntii in Polonia pertinens; in ms. 6574 f. 31r-v et 33r exemplar "Instrumenti de iure praecedentiae nuntii apostolici, cum nuntius esset Honoratus Vicecomes, archiepiscopus Larissenus, Vilnae 1633", invenitur, in ms. 6660 f. 13r-24v reperiuntur 6 epi-

stulae originales Hannibalis Bentivoglio, nuntii extraordinarii, ad cardinalem Franciscum Barberini, a 29 I ad 26 III 1633 datae; in ms. vero 9070 binae litterae Honorati Visconti et Francisci Barberini ad Thaddaeum Barberini, a IV ad VI 1630 missae, leguntur (f. 83r, 84r).

Inter codices Vaticanos Latinos in volumine 8472, parte I et in volumine 8473 parte I, servantur reliquiae commercii litterarum inter Honoratum Visconti et Marium Filonardi exeunte a. 1635 et ineunte a. 1636 intercedentis. Inter Codices autem Chisianos, in volumine B. I. 3, in f. 607r-610r, 4 epistulae originales Honorati Visconti ad Fabium Chigi, vicelegatum Ferrariensem, a 12 VI 1631 ad 10 X 1634 datae, leguntur. In eadem serie, in volumine R. I. 27, in f. 1r-60r invenitur alterum exemplar relationis a nuntio confectae (cui in f. 60v-64r litterae die 1 I a. 1636 conscriptae adiunctae sunt).

In **Archivo Sacrae Congregationis de Propaganda Fide Romae** multa acta et documenta, nuntiaturam Honorati Visconti illustrantia, asservantur. In eius collectione **Scritture Originali riferite nelle Congregazioni Generali** (SOCG) reperiuntur epistulae originales nuntii ad Congregationem et magistratus eius datae, in voluminibus (membrana molli ligatis, singulis foliis laxis constantibus et recenti tempore restauratis):

- Ms. 58, ff. 307, in dorso inscriptio: "Lettere di Polonia, Russia, Ungheria, Vallachia, Dalmazia. 1632"; volumen in f. 1r-41v continet epistulas Visconti, a 21 XI 1631 ad 12 XI 1632 scriptas; praeterea in f. 42r-54v passim, multae epistulae et acta, ad religionem in Polonia pertinentia, leguntur.

- Ms. 59, ff. 243, in dorso inscriptio: "Lettere di Polonia, Russia, Aleppo, Egitto, Gerusalemme, Barbaria, Persia, Etiopia, Tartaria. 1635"; in f. 3r-28r continetur commercium litterarum nuntii nostri, a 7 I ad 28 VII 1635 scriptarum; praeterea in f. 23r-57r passim, multae litterae et acta, ad res religiosas in Polonia pertinentia, reperiuntur.

- Ms. 73, ff. 243, in dorso inscriptio: "Lettere di Polonia, Russia, Illirica, Vallachia, Georgia, Persia, Tartaria ed Africa. 1631"; continet in f. 10r-52v passim, commercium litterarum nuntii Visconti, a 24 I ad 31 X 1631 scriptarum, i. a. epistulas originales Nicolai Torosowicz, archiepiscopi Ecclesiae unitae Armeniorum, et Stanislai Witwiński SJ ad eundem nuntium datas.

- Ms. 75, ff. 427, in dorso inscriptio: "Lettere di Germania, Ungheria, Polonia, Dalmazia. 1633"; in f. 339r-355r passim servantur litterae nuntii Visconti a 6 IV ad 1 XI 1633 scriptae; praeterea in f. 127r-385r passim, epistulae originales aliorum, ad res religiosas in Polonia pertinentes, reperiuntur.

- Ms. 76, ff. 298, in dorso inscriptio: "Lettere di Germania, Svizzera, Polonia, Russia, Ungheria, e Vallachia. 1634"; in f. 205r-215v commercium

litterarum, a 16 X 1633 ad 13 V 1634 scriptarum, nec non aliae epistolae i. a. litterae originales a secretario nuntii, Ioanne Baptista Rinalducci, ad episcopum Raphaellem Korsak die 10 III 1634 datae, inveniuntur.

- Ms. 336, ff. 470, in dorso inscriptio: "Polonia e Russia"; f. 7r-344v continent i. a. commercium litterarum nuntii Visconti, a 24 V 1631 ad 15 IV 1635 missarum allatarumque, nec non epistulas originales aliorum Polonorum.

Praeterea singulae epistolae originales, ab Honorato Visconti ad Congregationem datae, in voluminibus SOCG, 132 (2 ex a. 1630) et 135 (4 ex annis 1635-1636), custodiuntur.

In serie **Istruzioni diverse** in volumine 1, registra instructionum continente, in f. 180v-182r, 185v-188r, 206r-209r servantur 3 instructiones Congregationis ad Honoratum Visconti, a 24 XII 1632 ad 28 III 1634 datae; praeterea in hoc volumine instructiones ad alios nuntios in Polonia, annis 1623-1638 missae, continentur.

In collectione **Lettere Volgari**, registra epistularum continente, asservatur commercium litterarum ex Congregatione i.a. ad nuntium nostrum missarum, integrum tempus nuntiaturae eius complectens. Omnia volumina membrana molli ligata et indicibus instructa sunt. Litterae ad nuntium missae inveniuntur in voluminibus: 10 (4 epistolae a 26 III ad 20 IX 1630); 11 (21 epistolae a 14 II 1631 ad 2 I 1632); 12 (15 epistolae a 12 II ad 23 XII 1632); 13 (8 epistolae a 22 I ad 13 VIII 1633); 14 (9 epistolae a 18 II ad 13 XII 1634); 15 (17 epistolae a 27 I ad 24 XI 1635); 16 (3 epistolae a 23 II ad 24 IV 1636).

In serie **Scritture riferite nei Congressi (SC)** servatur pars **Visite e Collegi** dicta. Custodita hic acta visitationum in collegiis pontificiis Braunsbergae et Vilnae peractarum, tamquam relationes statis temporibus a nuntio ad Congregationem mittebantur; haec in voluminibus: 8 (1630 a.), 11 (1632 a.), 12 (1633 a.), 13 (1634 a.), 15 (1635 a.) continentur. Illa acta litterae commendaticiae a nuntio acceptae praecedunt. In parte autem **SC Armeni**, ms. 2 una epistula ex a. 1631 et unum eius actum ex a. 1632 invenitur.

Singulae epistolae et acta in aliis quoque collectionibus huius congregationis a nobis sunt reperta. In **Actis Sacrae Congregationis** in vol. 8 servatur 1 epistula ex a. 1632; in parte **Congregazioni Particolari**, in volumine 22, 1 epistula ex a. 1635.

In **Tabulario Status Romae**, in collectione **Archivio Santacroce**, in tribus voluminibus, ad Antonium Santacroce comprotectorem R.P. pertinentibus, aliquot epistolae originales Honorati Visconti ad eum datae inventae sunt. Haec volumina, negligenter compacta, habent chartas laxas vel incuriose agglutinatas, numeris non notatas et saepe parum legibiles. Epistolae nuntii continentur in ms. 766 (2 epistolae ex 8 VII et ex 8 XI a.

1633, in initio); in ms. 1188 (7 epistulae a 3 IV 1631 ad 25 XI, in fine); in ms. 1206 (2 epistulae ex 11 I et ex 29 VII a. 1632).

Explorationes in **Archivo Romano Societatis Iesu** a nobis factae speratos fructus non attulerunt. Solum in collectione Epistulae Nostorum, in ms. 3, registrum commercii litterarum praepositi generalis Societatis Iesu, Mutii Vitelleschi, continente, inter f. 24v et 75r, asservantur 5 epistulae ad Honoratum Visconti, a 20 VII 1630 ad 26 III 1633 datae. In serie vero Polonia, in ms. 52, in f. 85r documentum ab Honorato Visconti 27 XII 1632 subscriptum custoditur; in ms. 77 I, f. 166r-v invenitur exemplar litterarum, de discidio inter Academiam Cracoviensem et Iesuitas mense Octobri a. 1630 a nuntio circummissarum.

In privato **Tabulario Doria Landi Pamfili** Romae, in collectione Archiviolo, ms. 123, in f. 8r-66v inventum a nobis est copiarium epistularum episcopi Plocensis, Stanislai Łubieński, a 29 IV 1622 ad 5 XI 1635 missarum ad multos magistratus, imprimis Italos, i. a. ad nuntios in Polonia: Cosmum de Torres, Antonium Santacroce, Ioannem Baptistam Lancellotti. In f. 53r-v, 66r binae litterae ad Honoratum Visconti, die 21 III 1634 et die 6 X 1635 datae, asservantur<sup>113</sup>.

In privato **Tabulario Dragonetti de Torres**, quod ab a. 1981 in Archivo Status Aquilae servatur, custodiuntur in volumine 111 (f. 198r-241v) optime conservato, 22 epistulae originales nuntii nostri ad cardinalem Cosmum de Torres, protectorem Regni Poloniae, annis 1630-1631 datae, et in codice 53 duae aliae a. 1633 ex nuntiatura Polona Romam missae.

In **Bibliotheca Florentina Ginori**, Filza 184, servatur exemplar typis impressum orationis ab Honorato Visconti in comitiis a. 1632 habitae.

Multis actis **Tabularii Publici Vindobonensis** (Haus-, Hof- und Staatsarchiv) exploratis, in serie Romana Varia 7 f. 42r, solummodo unam epistulam originalem nuntii ad imperatorem Ferdinandum II, 21 IX 1630 datam, repperimus. In collectione autem Polonia I, 56, in f. 217r-226v custoditur typis edita oratio a nuntio in comitiis electionis die 22 X a. 1632 habita. In serie **Römische Hofkorrespondenz** 10, in fasciculis 20 et 21, asservatur commercium litterarum Hannibalis Bentivoglio, papae Urbani VIII et Francisci Barberini ad imperatorem mense Ianuario a. 1633 missarum et ad legationem Hannibalis Bentivoglio in Polonia pertinentium.

In **Tabulario Publico (Riksarchivet) Stockholmiae** in serie IX, **Polen**, in ms. 110 (sine foliatione) leguntur binae litterae originales nuntii Visconti ad Ioannem Gembicki, secretarium regium, annis 1633 et 1634 datae.

<sup>113</sup> Hoc copiarium non congruit cum altero copiarium nobis noto, quod commercium litterarum Stanislai Łubieński continet Vratislaviae conservato (BOss, ms. 157 II).

Insolitum et inexpectatum sane repertum definire possumus "Registro d'alcune liste de' Banchetti, Pranzi e Cene, fatti dall'Ill.mo et Rev.mo Mons. Conte Honorato Visconte, Arcivesco[vo] di Larissa, Nuntio Apostolico in Polonia [...] l'Anno 1630 sino al presente 1634, serviti et ordinati da me Francesco Dionisii da Monte Cassiano in uffitio di Scalco, Dato in Varsovia questo dì di [...] 1634". Hic curiosus tractatus de re coquinaria, ex 59 foliis constans, in Catalogo manuscriptorum in Bibliotheca Czartorysciana Cracoviae servatorum, commemoratus velut "Registro delle spese" Honorati Visconti pro a. 1630<sup>114</sup>, hucusque deperditus existimabatur. Nos autem "Itinere Suetico" Ioannis Albertrandi nixi<sup>115</sup>, feliciter ad eum pervenimus. Cuius autographum Daniae in **Bibliotheca Regia** (Det Kongelige Bibliotek, Gammel Kongelig Samling, Nr 703), **Hafniae** (Kobenhavn) asservatur.

In tabulariis et bibliothecis Polonis investigavimus etiam alia acta ad nuntiaturam Honorati Visconti pertinentia. In **Archivo Principali Actorum Antiquorum Varsoviae**, in serie Libri Legationum, ms. 32 in f. 556v-557r custodiuntur litterae passus, die 19 IV a. 1635 a Vladislao IV Vasa ad nuntium datae. In collectione Archivi Familiae Zamoyski, ms. 410, nr 58, litterae nuntii ad Thomam Zamoyski, vicecancellarium Regni Poloniae, a. 1632 datae inveniuntur.

In **Bibliotheca Cathedrali Gnesnensi**, in ms. 4162 (sine foliatione), servantur litterae nuntii ad capitulum Gnesnense a. 1632 missae. Simile commercium epistularum Honorati Visconti cum capitulo cathedrali Varmiensi ex a. 1631-4 (24 epistulae et 2 diplomata) conservatur in Archivo Dioecesis Varmiensis Olstini, in ms. D 127.

In **Archivo Capituli Metropolitanii Cracoviae**, in serie Acta Actorum, ms. 13 in f. 66r, inveniuntur litterae a nuntio ad hoc capitulum datae.

In **Bibliotheca Czartorysciana Cracoviae**, in Thecis Naruszewiczianis, confecta saeculo XVIII exemplaria epistularum episcopi Plocensis Stanislai Łubieński i.a. ad nuntium Visconti datarum custodiuntur in voluminibus: 123 (6 epistulae ex a. 1631), 124 (5 epistulae ex a. 1632), 128 (1 epistula ex a. 1633), 131 (1 epistula ex a. 1635)<sup>116</sup>. In ms. 129 continetur exemplum litterarum nuntii ad Vladislaum IV Vasa die 10 IX a. 1634 missarum, quod saeculo XVIII a Ioanne Albertrandi ex Tabulario Theatinorum Neapoli exscriptum est. In voluminibus: 359 (in f. 298) et 365 (f. 423-424, 429-430), registrum actorum a cancellaria regia editorum contentibus, asservantur epistulae Sigismundi III Vasa ad nuntium mensibus Octobri et Novembri a. 1630 datae. In volumine 360 in f. 461-462 invenitur exemplar litterarum (sine dato et auctore) ad nuntium Visconti mis-

<sup>114</sup> Cfr. Kutrzeba, p. 176.

<sup>115</sup> Cfr. Kraków, BCz, ms. 2418 IV f. 171.

<sup>116</sup> Omnes epistulae, excepta una, congruunt cum epistulis in copiariorum BOss, ms. 157 II, Vratislaviae servatis.

sarum. In ms. 2870 IV f. 1-43 legitur exemplar relationis Honorati Visconti a Ioanne Albertrandi a. 1780 in Bibliotheca Chigi confectum, quod hodie in collectionibus Bibliothecae Vaticanae (Fondo Chigi ms. R. I. 27) custoditur. Hoc exemplari Erasmus Rykaczewski usus, relationem eam in linguam Polonicam vertit et publici iuris fecit<sup>117</sup>.

In **Bibliotheca Jagellonica Cracoviae**, in ms. Przyb.126/1951 copiarium continente, exstant i. a. epistulae ad nuntium missae; in f. 136v litterae Vladislai IV sine dato, in f. 260v litterae capituli Cracoviensis ex a. 1632, in f. 301r-v litterae Stanislai Łubieński ex a. 1632. In ms. 94, registrum actorum tabularii regis Vladislai IV continente, 5 epistulae ad nuntium a 4 XI 1634 ad 2 X 1635 datae servantur.

In **Bibliotheca Academiae Scientiarum Polonae Cracoviae**, in ms. 347, custodiuntur 3 epistulae originales nuntii ad cancellarium magnum Lithuaniae Leonem Sapieha, a 18 VIII 1631 ad 31 VIII 1633 datae, nec non autographum brevis credentialis die 15 VI confecti et a nuntio eodem porrecti. In ms. 1927 t. 1 (Diarium a Ioanne Wielewicki conscriptum - pars non impressa) in f. 640v-641r continetur exemplar litterarum nuntii de lite inter Iesuitas et Academiam Cracoviensem, mense Octobri a. 1630 circummissarum.

In **Bibliotheca Instituti Nationalis Ossoliniani Academiae Scientiarum Polonae Vratislaviae**, in ms. 157 II, copiarium commercii litterarum episcopi Plocensis Stanislai Łubieński<sup>118</sup> continente, in f. 202v-413r (passim) leguntur 29 epistulae ad nuntium a mense Octobri 1630 ad 25 VI 1634 datae. Ibidem duo exemplaria brevium pontificiorum a nuntio Stanislao Łubieński porrectorum (credentialia ex 15 VI 1630 et comitialia ex 30 XI 1630) custodiuntur. In ms. 400 II, in f. 120-121 servatur exemplar (sine dato) litterarum ab incisore Regni Poloniae, Iacobo Sobieski, ad nuntium missarum.

In **Bibliotheca Kornicensi Academiae Scientiarum Polonae**, in ms. 346 in f. 3-9, documentum a nuntio die 21 XI a. 1632 editum invenitur.

Extra ordinem memorandi sunt fontes "Thecae Romanae" dicti, numeris 49-50 et 63-64 signatae, quae hodie in Bibliotheca Academiae Scientiarum Polonae Cracoviae (ms. 8390, 8391, 8403, 8404) asservantur. Eiusmodi "Thecae" complectuntur commercium litterarum nuntii cum Secretariatu Status, saeculo XIX transcriptarum ex supra memoratis voluminibus: 42A, 48, 175, 177 seriei Nunz.Pol, in Tabulario Vaticano custoditis, nec non nonnulla exemplaria in Bibliotheca Vaticana ex collectione Barb. Lat. confecta<sup>119</sup>. Hoc commercium nuntii in forma regestorum, excerpto-

<sup>117</sup> Rykaczewski II, p. 187-272.

<sup>118</sup> Hoc copiarium non concordat cum copiarium, quod in ADLP, Archiviolo, ms. 123 invenitur, cfr. supra notam 113.

<sup>119</sup> Theca Romana 49, p. 253-323, epistulas card. Francisci Barberini ad Honoratum Visconti 5 X 1630 - 29 V 1632 datas continet. Theca 50, p. 2-134, epistulas Francisci Barberini ad Honoratum Visconti 19 VI 1632 - 2 II 1636 missas continet. Theca 63, p. 2-220, epistulas Honorati Visconti ad Fran-

rum, translationum, rarius litterarum integre transcriptarum, descripserunt. Ludovicus Boratyński et Victor Czermak, participes Expeditionis Romanae ab Academia Scientiarum Cracoviensi factae, dum investigationes in Tabulario Vaticano annis 1890-1893 peragebant<sup>120</sup>. Cum supra dicta acta, non integre collecta, cum documentis originalibus accuratius ac diligentius conferenda essent, ideo in hac editione apparanda magis opportunum visum est, ut potius ipsis epistulis originalibus et "photocopiis" earundem epistularum integre conscriptarum et recensitarum uteremur.

\*

Publicatio documentorum, ad nuntiaturam Honorati Visconti spectantium, inchoata est a. 1632 (dum nuntius adhuc in Polonia morabatur) oratione eodem anno in comitiis electionis habita, quae in regia officina Ioannis Rossowski Varsaviae typis edita est.

Saec. XVIII editor Germanus, Ioannes Christianus Lünig, publici iuris fecit epistolam episcopi Plocensis, Stanislai Łubieński, a. 1635 ad Visconti scriptam.

Ex apographis, eodem XVIII saec. a Ioanne Baptista Albertrandi confectis, Erasmus Rykaczewski a. 1864 in linguam Polonicam transtulit et publicavit informationem de comitiis a. 1631, ad usum card. Cosmi de Torres conscriptam, et sat amplam relationem finalem, a. 1635 a nuntio nostro exaratam.

Eodem anno 1864 praefectus Tabularii Vaticani, Augustinus Theiner, typis divulgavit breve credentiale, instructionem et novem epistulas (ad interregnum a. 1632 pertinentes) Honorati Visconti ad cardinalem secretarium status, Franciscum Barberini, datas.

Commercium litterarum, quod inter H. Visconti et Congregationem de Propaganda Fide a. 1633-1635 intercedebat et circa quaestiones cum Ecclesia Orthodoxa in vetere Republica Utriusque Nationis coniunctas versabatur, a. 1928 publicavit Russicus monumentorum historicorum explorator, Eugenius Šmurlo<sup>121</sup>, auctor primi inventarii documentorum ad Rempu-

---

ciscum Barberini 23 VII 1630 - 7 VI 1632 scriptas complectitur. Theca 64, p. 1-222, epistulas Honorati Visconti ad Franciscum Barberini 16 VI 1632 - 31 V 1636 et epistulas Francisci Barberini ad Honoratum Visconti X 1630 - 17 XII 1633 datas complectitur. In Theca 65, in p. 6, unae litterae ab Honorato Visconti ad Franciscum Barberini 21 III 1636 scriptae inveniuntur.

<sup>120</sup> Cfr. Wojtyška ANP I, p. 125, 127. In Theca Romana 64 (ms. BPAN 8405), in charta numero non designata ante p. 1, nota lapide scriptorio "Wiktor Czermak".

<sup>121</sup> Titulus omnium supra nominatorum operum vide in p. XXXVII: *Opera in quibus scripta ad nuntiaturam Honorati Visconti pertinentia publicata sunt.*

blicam Polono-Lithuanam et Russiam spectantium, quae in Tabulario S. Congregationis de Propaganda Fide servantur<sup>122</sup>.

Totum epistularum commercium, quod nuntio nostro cum Congregatione de Propaganda Fide (cum cardinalibus praefectis: Ludovico Ludovisi, Antonio Barberini et secretario, Francisco Ingoli) intercedebat, et fragmenta litterarum ad card. F. Barberini datarum, ad res Ucrainae attinentia, a. 1954-1972 in aliquot seriebus publicata sunt ab Athanasio Welykyj, Ordinis s. Basilii Magni sodali<sup>123</sup>. Pars eiusmodi documentorum, a metropolita Andrea Šeptyc'kyj collectorum, a. 1965-1974, nulla habita ratione explorationum a Basilianis peractarum, publici iuris facta est in *Monumentis Ucrainae Historicis*, ab Universitate Catholica Ucrainorum Romae editis<sup>124</sup>.

Summaria 24 epistularum Honorati Visconti, a. 1630-33 ad Cosmum de Torres datarum, quae ex Tabulario Dragonetti de Torres, Aquilae existente, proveniunt, a. 1965 a Paulo Collura publicata sunt<sup>125</sup>.

Quod attinet ad usum actorum nuntiaturae Viscontianae ab historicis hactenus factum, dicendum est hausisse ex eis vel potius ex apographis eorum, in Thecis Romanis contentis, - praeter Sophiam Sułowska, quae ad describendam operam nuntii nostri in Polonia peractam eis nixa est - viros rerum gestarum studiosos, qui explorandae imprimis historiae internae et externae Reipublicae Polono-Lithuanae operam dederunt, Adamum Szela-gowski, Vladislaum Konopczyński, Ioannem Sereyka, Vladimirim Kaczorowski, Ioannem Dzięgielewski<sup>126</sup>.

*Adalbertus [Wojciech] Biliński*

*Latine vertit Christophorus Pawłowski*

---

<sup>122</sup> E. Šmurlo, *Rossija i Italia. Sbornik istoričeskich materialov i izsledovanij, kasajuščichsia snošenij Rossii s Italiej* [Russia et Italia. Collectio fontium et studiorum, ad mutuas relationes inter Russiam et Italiam intercedentes attinentium], T. 4, Sanktpeterburg 1927.

<sup>123</sup> Vide Welykyj: LNA V (163 documenta), LPF I (38 documenta), LE I (8 documenta). Singulae epistulae publicatae sunt etiam a Welykyj in: DPR I (1 epistula), ACPF (1 epistula), Haluščynskyj-Welykyj (2 documenta).

<sup>124</sup> Vide Šeptyckyj: MUH II (13 documenta), MUH IX-X (42 documenta).

<sup>125</sup> Vide Bibliographiam.

<sup>126</sup> Vide: *Studia et fontes auxiliarii*.

**ITINERARIUM**  
**nuntii Honorati Visconti 1630-1636**

**1630.**

- Post 17 VI: discessit Macerata (AV, Nunz.Pol. 42A f. 68r-v).  
 28 VI: in Monte Cassiano (AV, Nunz.Pol. 42A f. 75r).  
 Sine dato: Laureti (AV, Sec.Brev. 763 f. 336r et ibidem f. 365r-v).  
 7 VII: Auximi (L'Aquila, AS, Arch. Dragonetti de Torres, ms. 111 f. 198r).  
 15 - 27 VIII: Anconae (AV, Nunz.Pol. 42A f. 76r, ibidem f. 78r; A.1)<sup>127</sup>.  
 30 VIII - 2 IX: Tergesti (AV, Nunz.Pol. 42A f. 79r, A. 1).  
 4 - 6 IX: Aemonae Pannoniorum (Ljubljana, A. 1).  
 9 IX: Mariaeburgi (Maribor, A. 1).  
 10 - 14 IX: Graecii (AV, Nunz.Pol. 43 f. 141r; A. 1).  
 15 IX: Ponte ad Muram (Bruck an der Mur, A. 1).  
 18 - 25 IX: Vindobonae (A. 1).  
 26 IX: in Mikulov (A. 1).  
 28 - 29 IX: Olomucii (A. 1).  
 1 X: Ratiboriae (A. 1).  
 4 X - 31 XII: Cracoviae (AV, Nunz.Pol. 42A f. 91r; ibidem f. 129r)<sup>128</sup>.

**1631.**

- 1 I - 29 I: Cracoviae (AV, Nunz.Pol. 42A f. 129r; ibidem f. 144r-v).  
 3 II - 26 IX: Varsaviae (AV, Nunz.Pol. 42A f. 144r, ibidem f. 331r-v).  
 30 IX - 6 XI: in Wieliszew (AV, Nunz.Pol. 42A f. 342r-v, ibidem f. 287r).  
 10 XI - 31 XII: Varsaviae (AV, Nunz.Pol. 42A f. 381r; ibidem f. 421r).

**1632.**

- 1 I - 7 VI: Varsaviae (AV, Nunz.Pol. 43 f. 15r-v; ibidem).  
 16 VI: Viscoviae (AV, Nunz.Pol. 43 f. 143r).  
 23 VI - 31 VIII: Varsaviae (AV, Nunz.Pol. 43 f. 150r, ibidem f. 225r).  
 8 - 10 IX: Lovicii (AV, Nunz.Pol. 43 f. 238r).  
 16 IX - 31 XII: Varsaviae (BV, Barb.Lat. 6585 f. 16r; AV, Nunz.Pol. 43 f. 339r-v).

<sup>127</sup> Accuratatum diarium itineris Ancona Cracoviam facti, vide in A. 1.

<sup>128</sup> In diario adventus Tineciam fit 5 X noctu, sollemnis autem ingressus Cracoviam non prius quam 8 X significatur, cfr. in Introductione, notam 26.

**1633.**

- 1 - 7 I: Varsaviae (BV, Barb.Lat. 6585 f. 20r-v; ibidem f. 22r).  
 9 - 10 I: Ravae in Masovia (BV, Barb.Lat. 6585 f. 24r-v).  
 12 I: Volboriae (BV, Barb.Lat. 6585 f. 23r-v).  
 27 I - 15 II (?): Cracoviae (BV, Barb.Lat. 6585 f. 32r; BV, Barb.Lat. 6660 f. 19r).  
 16 II: in Monte Argenteo prope Cracoviam (BV, Barb.Lat. 6660 f. 19r).  
 17 II - 9 IV: Cracoviae (BV, Barb.Lat. 6585 f. 45r; ibidem f. 78r).  
 Sine dato: Czesłochoviae (BV, Barb.Lat. 6585 f. 67r, 76r).  
 22 IV - 11 VI: Varsaviae (BV, Barb.Lat. 6585 f. 85r; ibidem f. 117r-v).  
 30 VI - 31 XII: Vilnae (Radziwiłł, p. 314; BV, Barb.Lat. 6585 f. 251r-v).

**1634.**

- 1 I - 5 II: Vilnae (AV, Nunz.Pol. 47 f. 2r; ibidem f. 7r).  
 20 II - 25 IX: Varsaviae (BV, Barb.Lat. 6586 f. 10r; AV, Nunz.Pol. 47 f. 49r-v).  
 2 - 30 X: in Wiązowna (AV, Nunz.Pol. 47 f. 50r-v; ibidem f. 56r).  
 6 XI - 31 XII: Varsaviae (BV, Barb.Lat. 6586 f. 128r-v; ibidem f. 141r).

**1635.**

- 1 I - 9 X: Varsaviae (BV, Barb.Lat. 6586 f. 147r; AV, Nunz.Pol. 47 f. 201r).  
 16 X: Gedani (Ogier I, p. 306-307).  
 17 X: Olivae (Ogier I, p. 306-307, 309).  
 Sine dato: Torunii (BV, Barb.Lat. 6589 f. 129r).  
 27 X - 31 XII: Varsaviae (BV, Barb.Lat. 6589 f. 129r).

**1636.**

- 1 I - 23 aut 26 III: Varsaviae (AV, Misc.Arm. III, 73 f. 55v-58v; AV, Nunz.Pol. 47 f. 273r).  
 3 - 5 IV: Cracoviae (BV, Barb.Lat. 6586 f. 230r).  
 14 - 22 IV: Vindobonae (AV, Nunz.Pol. 47 f. 287r; ibidem f. 290r).  
 3 - 14 V: Pontebbae (AV, Nunz.Pol. 47 f. 298r; ibidem 301r).  
 29 - 31 V: Ferrariae (AV, Nunz.Pol. 47 f. 309r).  
 5 VI: in Foro Livii (BV, Barb.Lat. 9142 f. 11r).  
 13 VI: Maceratae (BV, Barb.Lat. 9142 f. 12r).  
 Mense Iulio: Romae (AV, Misc.Arm. III 73 f. 4r).

## INDEX FONTIUM

## qui in hoc volumine publicantur

(qui memorantur solum, in parenthesi adducuntur)

**Archivum Secretum Vaticanum (AV):**

- Archivum Consistoriale (AC), Acta Camerarii, ms. 16 f. (332v, 368v, 369v, 372r, 373v).
- " " " " " 45 f. (127v).
- " Processus Consistoriales (Proc.Cons.), ms. 28 f. 35r - 65r, 184r-215r.
- " " " " " 32 f. (50r-637v).
- Archivum Nuntiaturae Varsaviensis (Arch.Nunz.Vars.), ms. (167).
- Armarium (Arm.) 45, ms. 43 f. 188r-197v.
- Epistulae ad Principes (Ep. ad Princ.), 41 f. (124v-125v).
- " " 42 f. (117v).
- " " 44 f. 227v-240v.
- " " 45 f. (44r-v, 48r-54r, 61r, 93r-v).
- " " 47 f. (53r-65r).
- Fondo Borghese (F.Borghese) III, ms. 30 f. 15v, 51r, 79v, 92v, 112r, 155r.
- Miscellanea Armaria (Misc.Arm.), III, ms. 34 f. (286r-337v).
- " " III, ms. 73 f. (4r).
- Nunziature Diverse (Nunz.Div.), ms. 9 f. (118v).
- Nunziatura di Polonia (Nunz.Pol.), ms. 42A f. 68r-282r, 304r, (331r-v, 381r).
- " " " " 43 f. (140r), 141r, (143r-145r, 225r, 237r-238r).
- " " " " 44 f. 3r-30v.
- " " " " 47 f. (7r, 50r-v, 201r, 273r, 287r, 298r, 301r, 309r).
- " " " " 174A f. (159r, 162r-163v), 166r-184v.
- " " " " 175 f. (99r-v, 122r-v, 129r-v).
- " " " " Addit. 3, fasc. (1 s.f.), fasc. 2 s.f.
- Secretariatus Brevium (Secr.Brev.), ms. 432 f. (263r, 268r).
- " " " " ms. 435 f. (105r-108r).
- " " " " " 763 f. 349r-368v.

**Bibliotheca Apostolica Vaticana (BV):**

- Archivio Barberini (Arch.Barb.), Indice II, ms. (608).
- " " " " (610).
- " " " " (629).
- " " " " (630).
- " " " " (634).
- Cod. Barberini Latini (Barb.Lat.), ms. 6159 f. 23r-90r, 95r-v.
- " " " 6160 f. (55r-v, 88r-91v).
- " " " 6226 f. 195r-222r.
- " " " 6250 f. 16v-17r, 26r-27r, 40r.
- " " " 6585 f. 1r-5v, (16r, 23r-24v,  
32r, 45r, 67r, 76r, 78r,  
85r, 117r-v, 122r-v).
- " " " 6586 f. (10r, 118r-v, 228r,  
230r).
- " " " 6587 f. 1r-87r.
- " " " 6589 f. (116r, 130r).
- " " " 6600 f. (64r-v, 73r-74r, 102r).
- " " " 6605 f. (62r).
- " " " 6607 n. 92.
- " " " 6660 f. (13r, 19r, 21r).
- " " " 6677 (passim).
- " " " 8948 f. (1r-6r).
- " " " 9025 f. (1r-3r).
- " " " 9070 (passim), f. 83r-84r.
- " " " 9142 f. (11r-12r, 16r-72r).
- Cod. Borgiani Latini (Borg.Lat.), ms. 883 f. (202r, 266v, 337r).
- " " " 884 f. (36r, 96r, 109v, 142r).
- " " " 885 f. (114v).
- Cod. Chigiani (Chigi), ms. B. I. 3 f. 607r.

**Archivum S. Congregationis de Propaganda Fide, Romae (APF):**

- Fondo di Vienna (F.Vienna), ms. 39 f. (9r-v).
- Lettere Volgari (Lett.Volg.), ms. 10 f. 33r, 85r-86r, 100r.
- " " " 11 f. 7r-v, 9v-10r, 15r, 30r-31r, 39r-v,  
45v, 65v, 77r-v, 79r-v.
- Scritture Originali riferite nelle Congregazioni Generali (SOCG),  
ms. 1 f. (289r, 291r, 293r)  
73 f. 1r-4r, 9r-12v, (14r-  
17r) 19r-27v, 29r, (30r-  
31r), 33r, 44r, 51r-v.
- " " " 132 f. 314r-315r.
- " " " 137 f. (228v).

- APF, Scritture Or. riferite nelle Congregazioni Generali, ms. 336 f. 7r.  
 - " " " " 391 f. 84r.  
 - Scritture riferite nei Congressi (SC): - Armeni, ms. 2 f. 113v-114r.  
 - " - Visite e Collegi, ms. 8 f. 435r, (436v-444r).

**Gniezno, Archiwum Archidiecezjalne w Gnieźnie (AAG):**

- Listy, n. 4162.

**København, Det Kongelige Bibliotek (KB):**

- Gammel Kongelig Samling, n. 703 f. 1r-8v.

**Kraków, Archiwum Prowincji Małopolskiej TJ:**

- Hereditas a Ioanne Poplatek SJ relictis, theca 1 p. 46-47.

**Kraków, Archiwum Kapituły Metropolitalnej (AKM):**

- Acta Actorum (AA), ms. 13 f. (102r-v).

**Kraków, Biblioteka Czartoryskich (BCz):**

- Ms. 123 p. 615, 621, 653, 655.  
 - " 359 p. 404-405.  
 - " 365 p. 423-424, 429-430.  
 - " 2418 IV p. (171).  
 - " 2870 IV (integrum).

**Kraków, Biblioteka Polskiej Akademii Nauk (BPAN):**

- Ms. 347 f. 30r-v.  
 - " 1927, t. 1 f. (640r), 640v - 641v.

**L'Aquila, Archivio di Stato, Archivio Dragonetti de Torres:**

- ms. 111, f. 198r-202r, 208r-213r, 220r-223v, 226r-229r, 232r-233r.

**Milano, Archivio Storico Civico e Biblioteca Trivulziana (ASCBT):**

- Archivio Visconti di Saliceto, caps. 33, n. 7, doc. (a, d, e, g, f, i, l, n, q,  
 v, w, y, z, aa, bb, dd, ee),  
 ff, p. 1-5, 20.  
 - " " " 34, n. 1, fasc. 2 p. 1-46, (47-57,  
 60-61), 121-123.  
 - " " " " " n. (5).  
 - " " " " " n. 16.  
 - " " " " " n. (19).  
 - " " " " " n. (20).  
 - " " " 35 n. 1 (a-k).

**Olsztyn, Archiwum Diecezji Warmińskiej w Olsztynie (ADWO):**

- Ms. D 127 p. 31-32, 56-57.

**Parma, Archivio di Stato (AS):**

- Carte Farnesiane, Estero, ms. 119 (Polonia), f. 235r-236r.

**Roma, Archivio di Stato (AS):**

- Archivio Santacroce (Arch.Santacroce), ms. 1188 s.f.
- " " " 1200 s.f.

**Roma, Archivio Doria Landi Pamfili (ADLP):**

- Archiviolo, ms. 123 s.f.
- " " 138, fasc. 2 f. (84r-v).
- " " 142, fasc. 2 f. (269r-321v).

**Roma, Archivum Romanum Societatis Iesu (ARSI):**

- Epistolae Nostrorum (Epp.NN), ms. 3 f. 24v, 30v.
- Polonia I, ms. 77 f. 166r-v.

**Warszawa, Archiwum Główne Akt Dawnych (AGAD):**

- Archiwum Nuncjatury, olim ms. (11, 12, 13, 14).
- Metryka Litewska, ms. 52 f. 5r-v.

**Warszawa, Biblioteka Ordynacji Zamoyskich (BOZ):**

- olim Archivio Visconti di Saliceto, ms. 50A n. (9, 36, 42, 98, 199).

**Wien, Haus-, Hof- und Staatsarchiv (HHStA):**

- Romana Varia, ms. 7 f. 42r.

**Wrocław, Biblioteka Zakładu Narodowego im. Ossolińskich (BOss):**

- Ms. 157 II f. 202v, 220r-v, 226v-227v, 229r-v, 231r-232v, 248r.

## OPERA

**in quibus scripta ad nuntiaturam Honorati Visconti pertinentia  
publicata sunt**

- Collura - *Repertorium rerum Polonicarum ex Archivo Dragonetti de Torres in Civitate Aquilana*, ed. Paulus Collura, Romae 1962 (Elementa ad Fontium Editiones, T. V- abbrev. EFE), p. 68-70, 72-73.
- Gintel - *Cudzoziemcy o Polsce. Relacje i opinie* [Homines peregrini de Polonia. Sententiae et opinionones], wybrał i wydał Jan Gintel, T. 1, Kraków 1971, p. 235-237.
- Haluščynskij-Welykyj - *Epistolae Iosephi Velamin Rutskyj metropolitae Kioviensis catholici (1613-1637)*, collegerunt, adnotationibus illustrarunt et introductione auxerunt R.P. Theodosius T. Haluščynskij et P. Athanasius G. Welykyj OSBM, Romae 1956 (Analecta Ordinis S. Basilii Magni, Sectio III), p. 249-252, 312-316.
- Konopczyński - *Reforma elekcji - czy naprawa Rzeczypospolitej? (wybór źródeł 1630-32)* [De reformanda electione seu de Republica emendanda (fontes selecti 1630-32)]. Polska Akademia Umiejętności, Archiwum Komisji Historycznej, Seria 2, T. 4, Kraków 1949, p. 293-296.
- Lünig - *Litterae procerum Europae ab imperatoribus, electoribus, principibus [...] ad Reges, principes, republ. liberar et vice versa [...] ab anno 1552 usque ad annum 1712, Latina lingua exaratae, in tres partes divisae et in lucem editae a Jo. Christiano Lünig*, Lipsiae 1712, p. 991-993.
- Meysztowicz-Wyhowska - *Documenta Polonica ex Archivo Parmensi* ed. Valerianus Meysztowicz et Wanda Wyhowska De Andreis, Pars 2, Romae 1970 (EFE XXIII), p. 40-41.
- Pułaski-Tomkiewicz - *La mission de Claude de Mesmes comte d'Avaux, ambassadeur extraordinaire en Pologne 1634-1636*, publié par François Pułaski et Ladislas Tomkiewicz, Paris 1937 (Documents relatifs aux rapports diplomatiques entre la France et la Pologne, I), p. 264.
- Rykaczewski - *Relacye nuncyuszów apostolskich i innych osób o Polsce od r. 1548 do 1690* [Relationes nuntiorum apostolicorum et aliarum personarum de Polonia ab a. 1548 usque ad a. 1690], wyd. Erazm Rykaczewski, T. 2, Berlin-Poznań 1864, p. 180-183, 187-272.
- Šeptyckij MUH - *Monumenta Ucrainae Historica*, collegit metropolita Andreas Šeptyckij, T. 2: 1624-1648, Romae 1965 (Editiones Universitatis Catholicae Ucrainorum S. Clementis Papae), p. 132-205 passim.

- Šeptyckyj-Slipyj - *Monumenta Ucrainae Historica*, collegit metropolita Andreas Šeptyckyj, ed. metrop. Iosephus Slipyj, archiep. maior et cardin., T. 9-10: *Supplementum (1075-1632)*, Romae 1971 (Editiones Universitatis Catholicae Ucrainorum S. Clementis Papae), p. 132-205 passim; T. 11: *Supplementum (1633-1659)*, Romae 1974, p. 9-179 passim et 601-606.
- Šmurlo SSOO - Šmurlo Eugène, *Le Saint-Siège et l'Orient Orthodoxe Russe 1609-1654*, Prague 1928 (textus et documenta), p. 86-109 passim.
- Theiner VMPL - *Vetera Monumenta Poloniae et Magni Ducatus Lithuaniae gentiumque finitimarum historiam illustrantia*, ed. Augustinus Theiner, T. 3: *A Sixto PP V usque ad Innocentium PP XII, 1585-1696*, Romae 1863, p. 387-390, 394-399.
- Visconti - *Oratio ab Illustrissimo ac Reverendissimo Domino D. Comite Honorato Vicecomite, Archiepiscopo Larisseno, et in Amplissimis Incltyti Regni Poloniae ac Magni Ducatus Lituaniae Ditionibus a Sanctissimo Domino Nostro Urbano VIII cum facultatibus Legati a latere Nuncio Apostolico, habita die XXII Mensis Octobris, Anni MDCXXXII ad Senatam Equitesque Polonos ac Lituanos in Castris, prope Varsaviam, congregatos ad novum sibi Regem eligendum. Post fata Pientissimi, Invictissimi, omnibusque titulis gloriosissimi, ac ter maximi Sigismundi III Poloniae ac Sueciae regis, Varsaviae, In Officina Ioannis Rossowski S.R.M. Typographi, Anno Domini 1632, in 4.*
- Welykyj ACPF - *Acta S.C. de Propaganda Fide, Ecclesiam Catholicam Ucrainae et Bielarusjae spectantia*, collegit et adnotationibus illustravit P. Athanasius G. Welykyj OSBM, T. 1: *1622-1667*, Romae 1953 (Analecta OSBM, Sectio III), p. 118.
- Welykyj DPR - *Documenta Pontificum Romanorum Historiam Ucrainae illustrantia*, collegit, introductione et adnotationibus auxit P. Athanasius G. Welykyj OSBM, T. 1 (*1075-1700*), Romae 1953 (Analecta OSBM, Sectio III), p. 497.
- Welykyj LE - *Litterae episcoporum historiam Ucrainae illustrantes (1660-1900)*, collegit, paravit, adnotavit editionemque curavit P. Athanasius G. Welykyj, T. 1: *1600-1640*, Romae 1972 (Analecta OSBM, Sectio III), p. 231, 248-249, 254-255, 262-267.
- Welykyj LNA - *Litterae nuntiorum apostolicorum historiam Ucrainae illustrantes (1550-1850)*, collegit, paravit, adnotavit editionemque curavit P. Athanasius G. Welykyj OSBM, T. 5: *1629-1638*, Romae 1961 (Analecta OSBM, Sectio III), p. 53-208 passim.
- Wyhowska - *Collectanea e rebus Polonicis Archivi Orsini in Archivo Capitolino Romae*, Pars I, edidit Wanda Wyhowska De Andreis, Romae 1965 (EFE XIV), p. 5-6.

**STUDIA ET FONTES AUXILIARII**  
**quibus in hoc volumine apparando usi sumus**

(Non afferuntur volumina, quae iam in "Opera in quibus epistularum commercium et acta nuntiorum publicata sunt" nominantur, ex quibus alia etiam documenta sunt adducta)

- Airaghi Piero, *Il Santuario della Madonna Addolorata di Rho. Guida storica ed artistica*, [Rho] 1972.
- Argelati Filippo, *Bibliotheca scriptorum Mediolanensium seu Acta et Elogia [...], tomus secundus*, Mediolani MDCCXLV.
- Bartoszewicz Julian, *Visconti Onorato*, in: *Encyklopedia Powszechna [Orgelbrandi]*, T. 26, Warszawa 1867, p. 226-231.
- Bieńkowski Ludomir, *Organizacja Kościoła Wschodniego w Polsce [Ordinatio Ecclesiae Orientalis in Polonia]*, in: *Kościół w Polsce [Ecclesia in Polonia]*, pod red. Jerzego Kłoczowskiego, T. 2: *Wiek XVI-XVII [saec. XVI-XVII]*, Kraków 1969, p. 781-1034.
- Bullarium Romanum - *Bullarum, diplomatum et privilegiorum Sanctorum Romanorum Pontificum Tauriensis editio*, T. 7: *A Pio IV (an. MDLIX) ad Pium V (an. MDLXXII)*, Augustae Taurinorum 1862.
- Ciampi Sebastiano, *Bibliografia critica delle antiche reciproche corrispondenze politiche, ecclesiastiche, scientifiche, letterarie, artistiche dell'Italia colla Russia, Polonia ed altre parti settentrionali*, T. 1-2, Firenze 1839.
- Chodynicki Kazimierz, *Kościół prawosławny a Rzeczpospolita Polska 1370-1632 [Ecclesia Orthodoxa et Respublica Polona]*, Warszawa 1934.
- Czapliński HSP - *Sejm w latach 1586-1696 [Comitia annis 1586-1696 celebrata]* in: *Historia sejmu polskiego [Historia Comitiorum Poloniae]*, T. 1: *Do schyłku szlacheckiej Rzeczypospolitej [Usque ad dissolutionem Reipublicae Nobilium]*, pod red. Jerzego Michalskiego, Warszawa 1984, p. 217-299.
- Czapliński WIC - *Władysław Czapliński, Władysław IV i jego czasy [De Vladislao IV et eius temporibus]*, Warszawa 1972.
- Czapliński ZDP - *Władysław Czapliński, Zarys dziejów Polski do roku 1864 [Historia Poloniae usque ad a. 1864 breviter descripta]* Kraków 1985.
- De Martinis - *Iuris Pontificii de Propaganda Fide pars prima, complectens bullas, brevia, acta S.S. a Congregationis institutione ad praesens, iuxta temporis seriem disposita...* cura et studio Raphaelis de Martinis, T. 1-7, Romae 1888-1897.

- Dzięgielewski Jan, *O tolerancję dla zdominowanych. Polityka wyznaniowa Rzeczypospolitej w latach panowania Władysława IV* [Pro tolerantia erga homines dominio nostro subiectos. De confessionibus religionis in Re Publica Polona Vladislao IV regnante], Warszawa 1986.
- Garampi Iosephus, *Synopsis Legatorum et Nuntiorum Apostolicorum in Polonia* (paenultima redactio inscripta *Primo sbozzo dei Nunzi in Polonia dal 1068 - al 1700*), ms. AV, F. Garampi 23.
- Horodyński Bogdan, *Straty rękopisów Biblioteki Ordynacji Zamojskiej w latach 1939-1944* [Damna sectioni manuscriptorum Bibliothecae Ordinationis Zamosciensis annis 1939-1944 illata] in: *Straty Bibliotek i Archiwów warszawskich w zakresie rękopiśmienniczych źródeł historycznych* [Fontes manuscripti Bibliothecarum et Tabulariorum Varsaviensium deperditi], T. 3: *Biblioteki*, Warszawa 1955, p. 319-374 .
- Kaczorowski SKE - Włodzimierz Kaczorowski, *Sejmy konwokacyjny i elekcyjny w okresie bezkrólewia 1632 r.* [Comitia convocationis et electionis causa tempore interregni a. 1632 indicta], Opole 1986.
- Kaczorowski SSA - Włodzimierz Kaczorowski, *Stanowisko Stolicy Apostolskiej wobec królewicza Władysława* [Sedes Apostolica de principe Vladislao Vasa quid senserit], "Odrodzenie i Reformacja w Polsce", 29 (1984), p. 155-166.
- Kantak BP - Kamil Kantak, *Bernardyni Polscy* [De Bernardinis Polonis], T. 1-2, Lwów 1933.
- Kantak FP - Kamil Kantak, *Franciszkanie Polscy* [De Franciscanis Polonis], T. 1-2, Kraków 1937-1938.
- Kopiec ANP - *Acta Nuntiaturae Polonae*, T. 41: *Iulius Piazza (1706-1708)*, vol. 1: [8 VII 1706 - 31 III 1707], ed. Ioannes Kopiec, Romae 1991.
- Korolko Mirosław, *Klejnot swobodnego sumienia. Polemika wokół konfederacji warszawskiej w latach 1573-1658* [Clenodium liberae conscientiae. Controversia de Confoederatione Varsaviensi a. 1573-1658 exorta], Warszawa 1974.
- Kraus Andreas, *Das päpstliche Staatssekretariat unter Urban VIII. 1623-1644*, Rom-Freiburg-Wien 1964.
- Kutrzeba Stanisław, *Catalogus codicum manu scriptorum Musei Principum Czartoryski Cracoviensis*, T. 2, Cracoviae 1908-1913.
Iuxta 4 respondit: Praecise ignoro certam eiusdem D.ni Henrici aetatem, sed tamen conferendo tempus praesens cum tempore, a quo coepi illius cognitionem et notitiam habere, existimo excedere trigessimum annum per unum vel duos annos, quoniam eum coepi cognoscere, quando iam frequentabat scholas. Et communiter non solent in hoc Regno ad scholas transmitti, nisi in decimo aut supra sint constituti pueri.

Iuxta 5 respondit: Audivi eundem D.num Henricum esse iam Presbiterum Sacerdotem per unum annum antefactum, se ego neque vidi ipsum

---

<sup>922</sup> Henricus Firlej (1574-1626), annis 1605-1613 referendarius Regni, annis 1613-18 vicecancellarius Regni, ab a. 1624 aepus Gnesnensis, primas Regni Poloniae.

<sup>923</sup> Markuszów, oppidulum ad viam, quae ex Ryki Lublinum ducit.

<sup>924</sup> Gertrudis Opalińska.

Ordinem suscipientem, neque celebrantem. Et scio, quia idem audivi ab aliquibus.

Iuxta 6 respondit: Scio eundem D.num Henricum esse virum pium et religiosum devotum, sed quia per annum tantum dicitur factus Sacerdos, et quia etiam erat et est valde occupatus propter negotia sui publici officii Referendariatus Regni, atque etiam saepe fuit infirmus, credo, quod non diu se exercuerit in functionibus ecclesiasticis et suorum ordinum. Scioque esse virum pium et devotum ac religiosum, tum quia talis communiter reputatur, tum etiam quia vidi ipsum assistentem in Ecclesiis, Sacrosanctum Missae Sacrificium audientem et piis actionibus interessentem.

Iuxta 7 respondit: [39r] Scio eundem D.num Henricum natum esse ex Parentibus Cattholicis, cattholice educatum et a quo tempore coepi illum cognoscere, semper [in] fidei puritate Cattholicae permansisse. Idque scio, quia ab omnibus pro tali habetur, quia vidi illum frequentantem pios actus Cattholicorum ac, uti iam dixi, a pluribus annis illum eiusque mores bene cognovi et cognosco.

Iuxta 8 respondit: Scio esse virum pium, innocentia vitae bonisque moribus praeditum, et bonae conversationis et famae. Et scio tum ex communi reputatione, tum ex notitia, quam de eius persona a tempore iam praedicto, eiusque moribus habeo.

Iuxta 9 respondit: Semper sum expertus eundem D.num Henricum virum gravem et prudentem, esseque usu rerum praestantem pro certo habeo, quia iam per plures annos cum summa laude praedictum officium Referendariatus Regni sustinuit, et quando antea fuit Secretarius.

Iuxta 10 respondit: Ignoro, an eidem D.nus Henricus assumpserit gradum Doctoratus, vel quem alium. Hoc scio, quia ipse fuit in <sup>(d)</sup>Italia et Gallia<sup>(d)</sup> studiorum causa, et puto operam dedisse Iuri Civili et Canonico. Et existimo eundem habere eandem doctrinam et scientiam, quae in Episcopo requiritur, ut alios docere possit. Et hoc, quia scio eum fuisse in diversis locis studiorum causa et quia etiam in magistratu Referendariatus obeundo dedit testimonia suae scientiae et prudentiae in causis referendis et iudicandis.

Iuxta X1 [sic] respondit: Dictus D.nus Henricus hucusque nullam curam habuit animarum, praeter curam Monachorum suae Abbatiae Tinecensis, [39v] cuius est Commendatarius, sed si in ea aliquas functiones curam animarum cernentes aut alias ecclesiasticas exercuerit, ignoro. Quo vero ad vitam, mores, prudentiam et doctrinam, iam dixi reputari et esse bonis moribus praeditum, virumque prudentem, sufficientis doctrinae, ex causis, studiis et iam dictis.

Iuxta X2 respondit: Scio dictum D.num Henricum nunquam dedisse aliquod scandalum circa fidem, mores sive doctrinam, et, si dedisset, facile ego scivissem. Quo vero ad impedimenta corporis, scio eum laborare podagra, qua tamen recedente liberum habet usum manus, pedum et totius cor-

poris. Nescio autem, an alio corporis vitio aut morbo laboret. Quo vero ad impedimenta alia, vitia animi vel impedimenta canonica, quominus possit ad Ecclesiam Cathedralem promoveri, ego ignoro, si aliquibus, vel aliquo, teneatur; potius tamen credo nullo impedimento teneri. Eaque scio et credo propter cognitionem, quam de ipso habeo ex causis praedictis.

Iuxta X3 respondit: Omnino existimo esse virum idoneum ad bene regendam Ecclesiam Cathedralem, praesertim Ecclesiam Premisliensem, atque eiusdem promotionem ad dictam Ecclesiam fore etiam futuram utilem et profiquam [sic] eidem Ecclesiae Premisliensi. Atque ita existimo, quia idem Rev.dus D.nus Henricus est ex nobilissima familia, est doctrinae, prudentiae et pietatis sufficientis, atque bonis moribus praeditus, ex causis supradictis, atque dignus, ut ad illam promoveatur.

### **Interrogatoria super statu Ecclesiae Premisliensis.**

Iuxta primum respondit: Civitas Premislia est in Provincia Russiae, et est quasi Civitas submontanea, quam fluvius San alluit, antiqua, satis nobilis, potius parva, et puto habere sexcentas domos et fere ad [40r] quinque vel sex millia inhabitantium, quorum maior pars est ritus Catholici Latini, reliqua Graeci ritus Uniti; fortasse erunt aliqui Schismatici, sicuti etiam sunt plures Iudaei. Et est Civitas Regalis. Et haec omnia scio, quia in eadem Civitate et Dioecesi mansi per quatuor fere annos apud Ill.mum et Rev.dum bonae memoriae Matthiam Stroconium, avunculum meum, tunc Episcopum Premisliensem<sup>925</sup>.

Iuxta 2 respondit: Scio in eadem Civitate Premisliae esse Ecclesiam Cathedralem sub titulo Sanctorum Petri et Pauli, ut credo, lapideam, satis elegantem et omnibus necessariis ornatam et munitam. An vero nunc indigeat aliqua restauratione vel aedificatione, ignoro. Abhinc autem viginti septem annis, quando apud Avunculum meum ibi manebam, nulla reparatione indigebat.

Iuxta 3 respondit: Esse Ecclesiam Episcopalem sub Archiepiscopatu Leopoliensi, et hoc scire ex causa dictae conversationis et habitationis.

Iuxta 4 respondit: Ni fallor, in eadem Ecclesia Premisliae sunt quinque dignitates, videlicet: Praepositus, Decanus, Archidiaconus, Cantor et Custos. Canonicatus vero, ni fallor, sunt duodecim. Est etiam ibi Collegium Vicariorum, quod communiter tunc temporis, quando in dicta Dioecesi Premisliae commorabar, constabat<sup>6)</sup> decem circiter Presbiteris. Erat pariter et Collegium Mansionariorum, quod, ni fallor, constabant sex Presbiteris. Non recorder, si adsint alii Clerici. Et credo permanere in eodem statu, quia non audivi factam esse aliquam mutationem. Quo vero ad reddi-

<sup>925</sup> Matthias Pstrokoński (circa 1553-1609), epus Premisliensis a. 1601, vicecancellarius Regni a. 1605, cancellarius 1606-1609, epus Vladislaviensis a. 1608.

tus, credo reliquas dignitates, praeter Archidiaconatum, non habere in proventibus annuis ultra quingentos florenos [40v] circiter; Vicariatus vero et Mansionariatus centum octuaginta. Archidiaconatus autem habet mille florenos in singulos annos circiter, quia habet incorporatam Ecclesiam parrochiam. Est in eadem Ecclesia praebenda<sup>d</sup> Theologalis et Poenitentiarum, ad quas solent adsumi duo Professores Accademiae Cracoviensis ex quadam praerogativa eiusdem Accademiae. Quae duae praebendae sunt ab aliis Canonicatibus distinctae. Haec vero scio ex causa, quia commoratus sum in eadem Ecclesia et Dioecesi, ut supra.

Iuxta 5 respondit: In eadem Ecclesia Cathedrali Premislae est cura animarum, quae exercetur per dictum Collegium Vicariorum; et solet eidem praeesse una ex dictis dignitatibus, fortasse Decanus, prout moris est in aliis Cathedralibus. Est quoque in eadem Ecclesia fons Baptismalis. Scio ex causa iam dicta.

Iuxta 6 respondit: Eo tempore, quo in eadem Ecclesia Premisliensi existebam, habebat Sacrarium sufficienter instructum, Sacra suppellectilia caeteraque ad Divinum cultum, etiam Pontificalia, exercendum necessaria, Chorum Organum, Campanile cum Campanis, Coemiterium. Idque scio ex eadem, qua supra, causa.

Iuxta 7 respondit: Recordor ibi adesse aliquas reliquias in diversis reliquiariis, quarum nominum non recordor; et non esse aliquam notabilem insignem reliquiam recordor. Idque scio ex causa iam dicta.

Iuxta 8 respondit: Eadem Ecclesia Cathedralis habet pro Episcopo habitationem satis commodam, partim ligneam et partim lapideam, iuxta Coemiterium, et tempore, quo in eadem Dioecesi moratus sum, non indigebat aliqua restauratione. Scioque ex praemissa causa.

Iuxta nonum respondit: Tunc, quando commorabatur in praedicta Dioecesi, [41r] proventus annuus dictae Ecclesiae aestimabatur decem millibus florenis Polonicalibus, nunc autem quanti existimetur ignoro, quia fuit quaedam devastatio praeteritis annis ibi facta, et ignoro, an reditus sint diminuti. Scioque ex causa iam dicta. Nec super eo aliqua pensio reservata, nec moris est in Polonia [!].

Iuxta X respondit: Puto nullam aliam Parrochiam esse, praeter eam, quae est in ipsa Cathedrali. Nulla est ibi alia Collegiata. Sunt quatuor Monasteria virorum: Sancti Dominici, Sancti Francisci Minorum Conventualium, Carmelitae etiam Discalceati et Societatis Iesu. Quae duo ultima sunt denuo constructa. Et tempore, quo in eadem Dioecesi permansi, nullae erant Moniales. Nescio vero, an deinde aliquod Monasterium Monialium aedificatum sit. Nullum est in eadem Civitate Hospitale. Sunt aliquae Confraternitates penes Religiosos, quarum numerum ignoro. Causa scientiae est iam dicta.

Iuxta XI respondit: Dioecesis Premisliensis est satis ampla, et habebat tunc centum quadraginta circiter Parrochias, quas credo nunc etiam

habere. Habet plura oppida satis ampla et opulenta, inter caetera Civitatem Jaroslaviensem, Crosnensem, Prevorsensem, Sandecensem<sup>926</sup> et alia plura, quorum numerum memoria non teneo. Causa scientiae eadem, quae supra.

Iuxta X2 respondit: Seminarium me praesente in dicta Civitate Premisliae nullum erat, sed intellexeram quandam Parrochiale fuisse destinatum pro Seminario conficiendo, sed an habuerit effectum, nescio. Causa scientiae, ut supra.

Iuxta X3 respondit: <sup>(h-Eadem Ecclesia Premisliensis-h)</sup>, [41v] quae modo possidetur ab Ill.mo et Rev.mo D.no Adamo Nowodvorski, debet vacare per eiusdem D.ni Adami translationem ad Episcopatum Posnaniensem. Causa scientiae, quia hoc est notorium D.num Adamum esse destinatum ad Episcopatum Posnaniensem. Ego Matthias Lubienski, Episcopus Posnaniensis, postulatus Vladislaviensis, deposui, prout supra, et in fidem manu propria subscripsi<sup>l</sup>). Pro eodem contra quoscumque.

### Secundus testis

Eisdem anno, indictione, pontificatu quibus supra, die vero vigesima eiusdem, examinatus fuit ubi supra, per quem supra, Ill.mus et Rev.dus D.nus **Adamus Nowodvorski**, Episcopus Premisliensis, nominatus Posnaniensis, aetatis suae annorum 57 circa, testis ex officio vocatus, cui dilato iuramento *etc.*, deposuit, prout infra, videlicet:

Iuxta primum respondit: Ego cognosco Rev.dum Patrem Henricum Firleum ab annis viginti duobus et citra. Coepique eum cogoscere de tempore, quo Ser.mus Rex cepit Smolenscum<sup>927</sup>, quia tunc temporis ipse manebat apud Patrum suum, D.num Henricum Firleum, tunc temporis Referendarium Regni, et ego quoque tunc eram Secretarius apud Ser.mam Maiestatem. Et illo tempore dictus D.nus Henricus Firleus erat puer. Et postea illum cognovi in Aula Sacrae Regiae Maiestatis. Neque est mihi consanguineus, affinis, neque cognatus. Fui quidam familiaris eiusdem Patru, Ill.mi et Rev.mi D.ni Henrici, quia insimul inservivimus Ser.mo Regi. Cum ipso vero [42r] D.no Henrico non habeo nimiam familiaritatem, neque illi sum aemulus, neque odiosus.

Iuxta 2 respondit: Nescio, in quo praeciso loco sit natus dictus D.nus Henricus, sed credo natum in suis bonis paternis; credo autem in bonis existentibus in Dioecesi Cracoviensi; alibi etiam in pluribus locis plura bona habet. Et ita credo, quia isti nobiliores solent in hoc Regno in suis bonis inhabitare; et eius parentes solebant habitare in dictis bonis in Dioecesi Cracoviensi.

<sup>926</sup> Jarosław, Krosno, Przeworsk; Sącz (Sandecia) in finibus dioecesis Cracoviensis iacebat.

<sup>927</sup> Sigismundus III Vasa fuit dux expeditionis bellicae contra Moscovitas factae, in qua a. 1611 Smolenscum captum est, cfr. N. 18.

Iuxta 3 respondit: Scio eundem D.num Henricum natum esse ex legitimo matrimonio. Mater eius fuit ex nobilissima familia Opaliniorum. Scioque natum ex Catholicis parentibus. Mater eius, cuius nominis non recordor, fuit quidem<sup>d)</sup> Catholica, Parens vero illius, cuius nomen non occurrit, fuit aliquando haereticus, sed postea conversus ad Catholicam fidem ante nativitatem eiusdem D.ni Henrici. Et post conversionem fuit optimus Catholicus. Et haec omnia scio, quia pro legitimis marito et uxore communiter reputabantur, et idem D.nus Henricus fuit communiter reputatus pro eorum filio legitimo atque pariter pro honestis et catholicis habiti sunt; et ego etiam pro talibus habeo ex notitia, quam habui et habeo de dicta familia.

Iuxta 4 respondit: Scio eundem D.num Henricum Firleum esse aetatis annorum supra trigesimum, dictumque annum trigessimum explevisse, quia communiter dicitur natus de mense Februarii anno 1599, et ita etiam audivi a praedicto Patruo eiusdem D.ni Henrici.

Iuxta 5 respondit: Scio dictum D.num Henricum esse actu Sacerdotem ab anno et ultra. Et hoc scio, quod audivi ipsum [42v] celebrasse Sacrosanctum Missae Sacrificium a pluribus et diversis personis. Ego vero celebrantem non vidi, quia simul non manemus.

Iuxta sextum respondit: Idem D.nus Henricus non fuit diu Presbyter, atque ita credo non esse diu versatum in diversis functionibus, quia etiam habet publicas occupationes propter officium Referendariatus Regni, in quo sunt frequentissimae occupationes, et etiam est infirmus. Est vero vir devotus, frequentat Sacramenta. Et scio, quia notorium est ipsum esse talem, et pro tali communiter reputatur.

Iuxta 7 respondit: Idem D.nus Henricus semper catholice vixit et in fidei puritate permansit. Idque scio, quia sic communiter ab omnibus est habitus et reputatus. Neque in hoc audivi aliquid in contrarium; et si aliquid fecisset in contrarium, utique facile scivissem, quia est persona publica et insignis.

Iuxta 8 respondit: Idem D.nus Henricus est vir <sup>(k-innocentia vitae-k)</sup> bonisque moribus praeditus et bonae conversationis et famae. Idque scio ex communi reputatione et fama publica.

Iuxta 9 respondit: Scio eundem D.num Henricum esse virum gravem, prudentem et usu rerum praestantem. Est enim Magnus Referendarius Regni, qui magistratus non solet concedi nisi viris gravibus, prudentibus, doctis ac usu rerum praestantibus; et in sustinendo huiusmodi officia talem utique se praebuit.

Iuxta X respondit: In hoc Regno Poloniae viri nobiliores et magnarum familiarum non solent suscipere aliquem gradum, neque Doctoratus neque Licentiatursae. Existimo propterea eundem D.num Henricum non suscepisse aliquem gradum. Credo tamen eum [43r] esse sufficientis doctrinae, quae in Episcopo desideratur ad hoc, ut possit alios docere, quia cum sum-

ma laude sustinuit officium Magni Referendarii, in quo debet callere iuris prudentiam, et civilem et canonicam.

Iuxta XI respondit: Ipse D.nus Henricus habet Abbatiam Tinnecensem in commendam; et in hoc Regno Abbatiae non solent habere exercitium curae animarum. Neque alterius Ecclesiae regimen habet.

Iuxta X2 respondit: Non scio eundem D.num Henricum dedisse unquam aliquod scandalum publicum, nec circa fidem nec circa mores neque circa doctrinam. Et si aliquid tale in eius persona contigisset, facile scivissem, quia est insignis familia; est diu versatus in Curia Ser.mi Regis, qui antequam aliquos promoveat ad magistratus, honores et dignitates, bene prius eorum mores, doctrinam et sufficientiam observat, diuque ad promovendum deliberat. Aliquando podagra laborat, qua tamen recedente liberus omnino est, ut possit in functionibus episcopalibus se exercere. Quoad vero alia impedimenta, sive corporis sive animi, nescio eum aliquo vitio laborare, quod ei possit impedimento esse, quominus possit ad Ecclesiam Cathedralem promoveri; immo credo nullo tali impedimento laborare. Scioque eum remanere liberum a podagra, quia post talem infirmitatem saepius vidi liberum se exercentem in functionibus sui magistratus Referendarii. Et credo alia impedimenta non habere, propter cognitionem, quam de illo a multis annis habeo.

Iuxta X3 respondit: Existimo [43v] eundem D.num Henricum idoneum ad bene regendam Ecclesiam Cathedralem et praesertim Premisliensem, ad quam modo est promovendus, dignumque qui ad illam promoveatur, eiusque promotionem utilem et profiguam [sic] esse futuram eidem Ecclesiae Premisliensi. Et ita existimo, quia est vir eminentis familiae, doctus, probus et in publicis magistratibus cum summa laude versatus, prout scio ex causis praedictis.

### **Interrogatoria super statu Ecclesiae Premisliensis**

Iuxta primum respondit: Civitas Premisliensis est in provincia Russiae sita, in quodam parvo colle, non multum grandis. Numerum domorum ignoro: plus minus mille erunt. Civitas antiqua muro circumvallata, et in ea forte inhabitant decem mille [sic] homines: alii sunt Cattholici pro maiori parte, alii Ruteni Schismatici Uniti. Sunt etiam aliqui Haeretici et Iudei. Estque Regalis Civitas, subiecta Regi Poloniae. Et haec scio, quia sum ibi Episcopus per triennium.

Iuxta 2 respondit: In eadem Civitate Premisliae est Ecclesia Cathedralis Episcopalis sub invocatione Sancti Ioannis Baptistae, lapidea, pulcherrimae structurae<sup>m</sup>). Iam ego reparavi fenestras et dedi mille et ducentos florenos pro restauratione tecti. Et in restauratione Episcopus dat duas partes, tertiam vero Capitulum. Causa scientiae, ut supra.

Iuxta 3 respondit: Ecclesia Cathedralis Premisliae est episcopalis, subiecta Archiepiscopo Leopoliensi. Idque scio ex causa praedicta.

Iuxta 4 respondit: Sunt in eadem Ecclesia quinque dignitates: Decanus, Praepositus, Archidiaconus, Cantor, Custos. Sunt etiam sex Canonici. Sunt et octo vicarii et sex Mansionarii. Sunt quoque [44r] duae praebendae: altera Theologalis, altera Poenitentiaria, ad quas assumuntur ex speciali privilegio ex professoribus Accademiae Cracoviensis. Et est satis bene ordinata. Post Pontificalem maior dignitas est Decanatus. Proventus annui dignitatum ascendunt ad trecentos et quatuor centos florenos Polonicales. Canonicatus vero alii habent trecentos et pauciores. Et Vicarii habent singuli in singulis annis centum florenos circiter. Similiter et praebenda Theologalis et Poenitentiaria habent trecentos florenos annuos pro qualibet. Et scio ex causa praedicta.

Iuxta quintum respondit: In eadem Ecclesia Cathedrali exercetur cura animarum per Vicarios Ecclesiae. Et est ibi fons baptismalis. Scio ex causa praedicta.

Iuxta sextum respondit: Eadem Ecclesia Premisliensis habet Sacarium sufficienter instructum, sacra supellectilia caeterasque res ad Divinum Cultum et etiam ad pontificalia exercenda necessarias. Chorum, Organum, Campanile cum campanis et Coemiterium. Estque Ecclesia satis bene munita et instructa. Scioque ex causa praedicta.

Iuxta 7 respondit: In eadem Ecclesia Cathedrali sunt duo capita ex undecim millibus Virginibus [sic] et de Ligno Sanctae Crucis, quae servantur in argenteis reliquiariis. Scioque ex causa praedicta.

Iuxta 8 respondit: Ad Ecclesiam Cathedralem est competens habitatio episcopalis, lignea, Coemiterio contigua, reparatione non indiget. Et scio ex causa praedicta. Sed Episcopus solet residere in Brodovia<sup>928</sup>, quia Tartari ante unum annum et medium tres villas ibi [44v] combuxerunt [sic], unde in eadem Civitate non habet commoditatem victualium. Solet tamen Episcopus solemnioribus anni diebus Premisliae accedere, nisi flumen<sup>o</sup> Sam<sup>929</sup>, quod est prope ipsam, aditum impedit.

Iuxta nonum respondit: Redditus mensae episcopalis Premisliae ascendunt ad summam annualem duodecim millium florenorum Polonicarium, qui percipiuntur ex censibus et bonis stabilibus. Et habet tres Civitates de mensa: Brodovia, Dasciska<sup>930</sup>, Radimia<sup>931</sup>. Scio ex causa praedicta. Nec subiecit alicui pensioni, quia pensiones in hoc Regno non sunt in usu.

Iuxta X respondit: In Civitate Premisliae est una tantum Ecclesia Parochialis, quae est in Cathedrali. Non adest alia Collegiata. Est quidem

<sup>928</sup> Recte: Brosovia (Brzozów).

<sup>929</sup> Sanus (San) fluvius, in Vistulam influens.

<sup>930</sup> Mościska, nunc in Republica Ucraina.

<sup>931</sup> Radymno.

una in Jaroslaviensi. Sunt Premisliae Monasteria Societatis Iesu, Dominicanorum, Franciscanorum Minorum Conventualium, item Reformatorum Bernardinorum, qui tempore mei Episcopatus Premisliam venerunt. Sunt et Discalceati Carmelitae. Sunt duo monasteria Monialium cum clausura: alterum Sancti Benedicti, quod fuit aedificatum sub meo Episcopatu, alterum Ordinis Sancti Dominici. Sunt etiam diversae Confraternitates: Ss.mi Sacramenti et Sanctae Annae. Est unum Hospitale in Suburbio. Non est autem Mons Pietatis. Et scio ex causa praedicta.

Iuxta XI respondit: Dioecesis Premisliensis est in longitudinem usque ad triginta miliaria Polonicae, in latitudinem vero decem. Habetque Parochias ducentas sexaginta sex. Suntque in tribus locis Patres Societatis Iesu: Premisliae, Jaroslaviae, Crosnae<sup>932</sup>; Bernardinorum sunt monasteria [45r] in quatuor locis, videlicet Sambure<sup>933</sup>, Jesaiask<sup>934</sup>, Pretwosci<sup>935</sup>, Rescuf<sup>936</sup>; quatuor item de Dominicanis: Premisliae, Sambure et alibi. Numerum vero et nomina locorum ob multitudinem referre non possum. Causa scientiae praedicta.

Iuxta X2 respondit: Non est Seminarium in ea.

Iuxta X3 respondit: Ecclesia Premisliensis adhuc non vacat, sed de proximo vacatura est per mei translationem ad Ecclesiam Posnaniensem.

Ego Adamus, Episcopus Premisliensis, nominatus Posnaniensis, deposui ut supra, et in fidem me subscribo manu propria. Pro eodem contra quoscumque.

### Tertius testis

Die vigesima septima eiusdem [ex]aminatus<sup>p)</sup> fuit ubi supra, per quem supra, Ill.mus et Rev.mus D.nus **Nicolaus Szyskowski**, Secretarius Maior Regni, Abbas Czerwenensis, aetatis suae annorum 41 circiter, testis ex officio vocatus, cui dilato iuramento veritatis dicendae, prout tactis Sacris Scripturis, in manibus eiusdem Ill.mi et Rev.mi D.ni Nuncii Apostolici iuravit, dixit, deposuit, prout infra, videlicet:

Iuxta primum respondit: Ego cognosco Ill.mum D.num Henricum Firleum ab anno 1606, quia de anno 1607 fuimus simul in Collegio Bransbergensi Societatis Iesu in Prussia studiorum causa. Ipsius consanguineus non sum, neque cognatus, neque affinis, sed inter nos est familiaritas communis. Neque sum illius aemulus vel odiosus.

Iuxta 2 respondit: Certo scio eundem D.num Henricum natum in bonis familiae ipsius, existentibus in Dioecesi Cracoviensi, in Palatinatu Lubli-

---

<sup>932</sup> Krosno.

<sup>933</sup> Sambor.

<sup>934</sup> Leżajsk.

<sup>935</sup> Przeworsk.

<sup>936</sup> Rzeszów (Resovia).

nensi, in quo [45v] autem loco praecise nescio, quia habet plura bona hereditaria in dicto Palatinatu. Et scio, quia ut plurimum parentes illius in eisdem bonis habitare solebant, sicuti pluries, per illa bona ego transeundo, vidi eius Parentes in dictis locis residere.

Iuxta 3 respondit: Scio eundem D.num Henricum natum ex legitimo matrimonio atque ex honestis et Catholicis Parentibus. Mater eius fuit ex nobilissima familia Opalinorum Maioris Poloniae, cuius nominis non recordor. Et comminiter ab omnibus habebantur pro legitimis viro et uxore, et ab omnibus dictus D.nus Henricus similiter fuit reputatus eorum legitimus filius. Scioque eosdem Parentes fuisse honestos et Catholicos, quia familia utriusque est in Polonia notoria, nobilissima et honestissima. Eosdemque Parentes saepius vidi, et maxime Patrem, interessentes piis Catholicorum functionibus et exercitiis atque Sacrosancto Missae Sacrificio.

Iuxta 4 respondit: Credo eundem D.num Henricum esse triginta quatuor annorum. Idque credo ex notitia, quam de ipso habui de tempore iam dicto, quo tempore octavum vel annum agebat.

Iuxta 5 respondit: Scio eundem D.num Henricum esse actu Sacerdotem iam per unum annum circiter. Idque scio, quia a pluribus audivi, et fuit etiam hic rumor in Aula, quod celebraverit primum Sacrum vel Cestocoviae vel Vradislaviae [sic]. Qui rumor fuit, credo, ante annum circiter.

Iuxta 6 respondit: Nunquam vidi eundem D.num Henricum vel canticum Sacrum aut alias ecclesiasticas functiones, vel suos ordines exercentem, sed vidi illum suscipientem Sacrosanctam Eucharistiam, et ego etiam propriis manibus, [46r] ut mihi videtur, communicavi.

Iuxta 7 respondit: Ab eo tempore, quo illum eundemque D.num Henricum agnoscere coepi, semper catholice vixisse et in fidei puritate permanisse scio. Idque scio, quia ab omnibus pro tali est semper habitus et reputatus. Et ego vidi frequentantem pias actiones Catholicorum, quasi enim decem annis vel pluribus insimul inservimus Sacrae Regiae Maiestati in eadem Aula, et nihil unquam de eo aliquid audivi, quod esset Catholicae fidei aversum; si quid tale commisisset, facile scivissem, tum propter conversationem meam cum ipso, tum quia est persona insignis et publica.

Iuxta 8 respondit: Scio esse praeditum eundem D.num Henricum vitae innocentia, bonis moribus et esse bonae conversationis et famae. Idque scio ex conversatione, quam cum ipso habui iam per plures annos, ut dixi, et quia nihil unquam circa praemissa de eo in contrarium audivi; si enim aliquid affuisset in contrarium, audivissem propter causam iam dictam.

Iuxta 9 respondit: Scio eundem D.num Henricum esse virum gravem, prudentem et usu rerum praestantem. Idque scio, quia in gerendo publico magistratu Referendariatus Regni atque aliis publicis negotiis pertractandis omnes experti sunt eundem gravem, prudentem, usu rerum prae-

stantem, sicuti quoque ego sum expertus; fuit enim per sex annos Referendarius et per antea Secretarius Sacrae Regiae Maiestatis.

Iuxta X respondit: Nescio, an dictus D.nus [46v] Henricus sit insignitus laurea Doctoratus vel alterius gradus In Iure Canonico vel Sacra Theologia. Scio tamen ipsum operam studiis dedisse, quia fuit per aliquot annos studiorum causa in Accademia Ingolstadiensis, deinde Perusiae et etiam in Urbe. De tempore vero, quantum scilicet in his locis permanserit, certus non sum. Et puto eum ea doctrina callere, quae in Episcopo requiritur ad hoc, ut possit alios docere. Et praemissa scio, quia audivi ex Pedagogo eiusdem, quod fuit idem D.nus Henricus Ingolstadiæ, et ab aliis, quod fuit Perusiae et in Urbe, et ita etiam publice dicebatur hic in Polonia. Quod vero habeat sufficientem scientiam praedictam, puto tum ex conversatione, quam cum ipso habui, et ex variis discursibus, tum etiam quia sustinuit huiusmodi magistratum Referendariatus cum optima omnium satisfactione; in quo magistratu exercendo necesse habuit notitiam habere Iuris Civilis et Canonici.

Iuxta XI respondit: Non scio eum habuisse nec habere curam aliquam animarum, praeter Abbatiam Tinnecensem, cuius est Commendatarius. Sed in istis Abbatibus non solent habere curam animarum, sed habuit ibi Priorem constitutum ad regendos Monachos.

Iuxta X2 respondit: Non scio eundem D.num Henricum dedisse unquam publicum scandalum, nec circa fidem, nec circa mores, nec circa doctrinam. Quod si dedisset, facile ego audivissem seu scivissem propter conversationem, quam cum ipso habui, et quia est insignis et publica persona. [47r] Nec pariter scio eum teneri corporis aut animi vitio, aliove canonico impedimento, quominus possit ad Ecclesiam Cathedralem promoveri. Et si tale aliud impedimentum haberet, facile aut scirem aut audivissem, tum ex conversatione, quam cum ipso habui, et aliis causis praedictis.

Iuxta X3 respondit: Existimo eundem D.num Henricum esse idoneum ad regendam Ecclesiam Cathedralem, et praesertim Premisliensem, dignumque ut ad illam promoveatur, illiusque promotionem futuram utilem et profiguam eidem Ecclesiae. Et ita existimo ex notitia, quam habeo de eiusdem D.ni Henrici vita et sufficientia, propter conversationem cum ipso habitam, et quia bene sustinuit munera publica.

Deinde non fuit interrogatus super statu Ecclesiae Premisliensis, quia testis dixit nunquam ad illam fuisse.

Ego Nicolaus Szyszkowski, Secretarius Maior, Abbas Czerwensis, deposui ut supra, et in fidem subscribo manu propria. Pro eodem contra quoscumque.

### Quartus testis

Eisdem anno, pontificatu, indictione, quibus supra, die vero vigesima octava mensis Februarii eiusdem anni, examinatus fuit per quem supra, ubi supra, Ill.mus et Adm. Rev.dus D.nus **Iacobus Doruchowski**, Archidiaconus Varsaviensis, aetatis suae annorum 47 circiter, testis ex officio vocatus, cui dilato iuramento *etc.*, deposuit prout infra, videlicet:

Et iuxta primum respondit: Ego cognosco Rev.dum Patrem D.num Henricum Firleum, eumque cognovi fere a [47v] puero annorum circiter decem, occasione quia venit ad Comitiam huius Regni una cum Patre suo, Thesaurario Regni, et deinde de anno 1619 vel 20<sup>r</sup>, dum Roma in Poloniam rediret, ipsum vidi Patavii per biduum vel triduum; qui inde Venetias profectus est ad Patrum suum, olim Archiepiscopum Gnesnensem, cum quo in Poloniam venit. Et deinde, postquam reversus fuit in Poloniam, per plures annos vidi hic Varsaviae in Aula Ser.mi Regis. Non sum illi consanguineus, cognatus, neque affinis, neque unquam fui illius familiaris, neque illius aemulus, neque odiosus.

Iuxta 2 respondit: Non possum dicere, in quo loco idem Henricus sit natus, sed existimo natum in bonis paternis, existentibus prope Lublinum, ubi Parentes eius ut plurimum morari solebant.

Iuxta 3 respondit: Non est dubitandum eundem D.num Henricum natum ex legitimo matrimonio, quia utraque familia, paterna Firlea et materna Opalinorum, fuit et est satis illustris familia. Etiam matrimonium inter Parentes illius fuit celebratum cum magno splendore. Idque scio, quia post nuptias eo inservivi Ill.mo et Rev.mo D.no Andreae Opalischii, avunculo ipsius D.ni Henrici<sup>937</sup>, et a familia eiusdem Ill.mi D.ni Andreae pluries audivi nuptias fuisse celebratas cum magno splendore. Pater ipsius D.ni Henrici fuit aliquando haereticus, sed postea haeresim revocavit et semper illum cognovi optimum Cattholicum, virum devotissimum, dum erat Regni Thesaurarius post dictam haeresum revocationem. Et saepius [48r] audivi a diversis personis eundem D.num Henricum natum post conversionem sui Patris ad religionem Cattholicam. Nominis vero Patris non recordor. Mater vero eiusdem D.ni Henrici nata est Cattholica et semper fuit, etiam mortua est talis. Idque scio, quia decem annis inservivi praefato Ill.mo et Rev.mo D.no Episcopo Posnaniensi, fratri germano matris ipsius D.ni Henrici, et inde notitiam habui eam Cattholicam fuisse.

Iuxta 4 respondit: Credo, quod dictus D.nus Henricus facile expleverit annum trigessimum, quia ante annos quinque ipse mihi dixit, quod iam agebat annum vigessimum septimum.

Iuxta quintum respondit: Circa festum Sancti Ioannis Baptistae anni proxime praeteriti Lublini communiter et publice dicebatur, quod dictus

<sup>937</sup> Andreas Opaliński (1576-1623), secretarius maior Regni ab a. 1606, epus Posnaniensis ab a. 1607; avunculus Henrici, nam soror eius Gertrudis eiusdem Henrici mater erat.

Henricus celebraverat primum Sacrum in illis temporibus in celebri Ecclesia Divae Mariae in Cestocovia<sup>938</sup>.

Iuxta 6 respondit: Neque de functionibus ecclesiasticis, neque exercitio Ordinum et Sacramentorum frequentia possum quidquam dicere de dicto D.no Henrico, quia cum ipso versatus non sum, et idem diu extra domum<sup>d</sup> versatus fuit curandae suae valetudinis gratia.

Iuxta 7 respondit: Scio eundem D.num Henricum semper catholice vixisse et in fidei puritate permansisse<sup>s</sup>. Idque scio, quia publica fama est eum semper fuisse bonum Catholicum.

Iuxta 8 respondit: Omnes eundem D.num Henricum semper vidimus satis verecundum, [48v] pudicum, atque credo, quod innocentia vitae, boni mores et fama bona consequantur. Et communiter fuit talis fama de illo, et numquam fuit notatus de aliquo crimine.

Iuxta nonum respondit: Semper eundem D.num Henricum agnovi virum gravem et prudentem atque in exercendo officio Referendariatus Regni, quod quinque vel sex annis circiter usque ad haec tempora sustinuit, ita se gessit, ut usu rerum praestare omnino credam. Et haec scio et credo, quia ego semper fui praesens, quando ipse referebat causas coram Sacra Regia Maiestate et Senatu, et nunquam in aliquo erravit.

Iuxta X respondit: Nescio, an dictus D.nus Henricus sit insignitus aliquo gradu in Iure Canonico vel in Sacra Theologia. Ipse fuit in Germania, in Gallia, in Italia studiorum causa, et moratus est pluribus annis. Cui autem facultati operam dederit, nescio. Sed scio eum esse bene versatum in humanioribus litteris, in historicis et politicis. An vero ea doctrina polleat, quae in Episcopo requiritur, ut possit alios docere, expertus non sum. Quod fuerit vero studiorum causa in locis praedictis, audivi in domo Episcopi Posnaniensis supradicti, illius avunculi, cui tunc temporis inserviebam.

Iuxta XI respondit: Nescio, an idem D.nus Henricus aliquod officium cum animarum cura fuerit aliquando exequutus. In Ecclesia Sancti Michaelis Plocensis<sup>t</sup> fuit Cancellarius Capituli Cathedralis Ecclesiae et deinde habuit Abbatiam Tinecensem, quam modo possidet. [49r] An vero in his locis curam animarum exercuerit, ignoro.

Iuxta X2 respondit: Nunquam audivi eundem D.num Henricum dedisse aliquod publicum scandalum, vel circa mores, fidem aut decentiam; si aliquid tale commisisset, facile scivissem, quia est persona nobilissima et publica, quarum facta facile promulgantur. Neque scio teneri aliquo corporis vel animi vitio aut alio canonico impedimento, quominus possit ad Ecclesiam Cathedralem promoveri, nisi impedimento hoc sit, quod est valde podagricus; qui morbus licet frequenter ipsum infestet, quando tamen recedit, ipsum omnino liberum demittit.

<sup>938</sup> Częstochowa, 24 VI 1630.

Iuxta X3 respondit: Existimo eundem D.num Henricum idoneum ad bene regendam Cathedralem, et praecipue ad Premisliensem, dignumque ut ad illam promoveatur, eiusque promotionem futuram utilem et profiguam eidem Ecclesiae Premisliensi. Atque ita existimo, quia si in aliis publicis negociis (<sup>u</sup>-se bene gessit<sup>u</sup>), ut dixi, puto etiam, quod bene sustinebit dignitatem episcopalem.

Super articulis concernentibus statum Ecclesiae non fuit interrogatus, quia dixit: de illa non sum informatus.

Ego Iacobus Wierzbienta Dorukowski, Archidiaconus Varsaviensis, prout supra deposui et in fide me subscribo manu propria. Pro eodem contra quoscumque.

### Quintus testis

Eisdem anno, indictione, pontificatu, quibus supra, die vero prima mensis Martii eiusdem anni, examinatus fuit ubi supra, per quem supra, Illustris et Adm. Rev.dus D.nus Stanislaus Grokowski, Notarius Thesaurarii [49v] Supremi, testis ex officio vocatus, aetatis suae annorum 57, cui dilato iuramento *etc.*, dixit et deposuit prout infra, videlicet:

Iuxta primum respondit: Ego cognosco Rev.dum D.num Henricum Firlei iam ab anno 1611. Non sum illi consanguineus, neque cognatus, neque affinis, sed sum affinis illius fratris carnalis<sup>939</sup>. Sum illius amicus et ipse mihi, quia versamur in eadem Aula Ser.mi Regis. Neque sum illi aemulus, neque odiosus. Et occasio cognoscendi eundem D.num Henricum fuit, quia venerat ad Comitata Regni cum parente suo, Regni Thesaurario, et quia deinde versatus est in Aula Sacrae Regiae Maiestatis, in qua et ego quotidie diversor.

Iuxta 2 respondit: Nescio in quo loco, Civitate vel Dioecesi sit natus dictus D.nus Henricus, quia Pater habebat diversa bona in diversis locis.

Iuxta 3 respondit: Certo scio eundem D.num Henricum natum de legitimo matrimonio, quia successit in bonis paternis; et si fuisset aliqua suspicio in contrarium, in hoc Regno non fuisset ad successionem admissus; et etiam illius Parentes communiter pro legitimis marito et uxore habiti sunt, et D.nus Henricus pro eorum legitimo filio. Parentes eius honesti fuerunt, quia uterque est ex nobilissima familia, uterque fuit Catholicus. Nescio, an Pater natus fuerit Catholicus, (<sup>v</sup>-sed tamen<sup>v</sup>) per multos annos Catholicum novi, et talis mortuus est, et pro talibus communiter reputabantur.

Iuxta 4 respondit: Credo [50r] explevisse trigessimum annum, quia iam sunt decem et novem anni, quando coepi illum cognoscere, et poterat tunc agere decimum tertium vel quartum annum.

---

<sup>939</sup> Vinculum consanguinitatis incertum.

Iuxta 5 respondit: Nescio, an sit in Sacris Ordinibus constitutus dictus D.nus Henricus.

Iuxta 6 respondit nihil scire, nisi quod est bonus Cattholicus.

Iuxta 7 respondit: Puto eum semper cattholice vixisse et in fidei puritate permansisse, quia vidi eundem D.num Henricum frequentantem Cattholicas Ecclesias, pias Cattholicorum functiones; et nihil in contrarium audivi, et si aliquod in contrarium commisisset, utique facile sciretur, cum scit publica et insignis persona.

Iuxta 8 respondit: Idem D.nus Henricus est vir praeditus innocentia vitae, bonis moribus, et est bonae conversationis et famae. Idque scio ex quotidiana conversatione in Aula Ser.mi Regis, et pro tali ab aliis etiam reputatur.

Iuxta nonum respondit: Idem D.nus Henricus est vir gravis, prudens et usu rerum peritus. Et hoc scio ex conversatione cum ipso, ut dixi, et quia, cum sit Referendarius Regni, debet esse vir eruditus, et huc usque optime sustinuit Referendariatum Regni, in quo officio debet esse iuris peritus.

Iuxta X respondit: Nescio, an idem D.nus Henricum fuerit et sit insignitus aliquo gradu in Iure Canonico vel in Sacra Theologia, vel si his facultatibus aut alteri eorum operam dederit. In officio Referendariatus praebuit [50v] se doctum et prudentem, sed nescio, si ea scientia polleat, quae in Episcopo desideratur. Et hoc scio ex conversatione iam dicta in Aula Regia.

Iuxta XI respondit: Idem D.nus Henricus fuit Praepositus Pultoviensis<sup>940</sup>, sed ibi non est cura animarum. Deinde habuit Abbatiam Tinencensem, in qua credo, quod nullam habeat aliam curam nisi Monachorum, quam tamen per se non exercet, quod ego scio.

Iuxta X2 respondit: Nescio, quod idem D.nus Henricus aliquando publicum scandalum dederit circa fidem, mores, doctrinam; et si dedisset, facile scivissem, quia est persona publica et insignis, et facile omnia scirentur in Regno Poloniae. Quo vero ad impedimenta corporis sive animi, nihil aliud scio, nisi quod idem D.nus Henricus est podagricus, quae tamen podagra cum illum relinquit, dimittit liberum, ita ut credam eum posse episcopales functiones exercere. Praedicta scio propter conversationem dictam.

Iuxta X3 respondit: Existimo eundem D.num Henricum idoneum ad Ecclesiam Cathedralem regendam, et praesertim Premisliensem, eumque dignum ut ad eandemque Premisliensem Ecclesiam promoveatur, eiusque promotionem futuram utilem Ecclesiae Premisliensi. Atque<sup>w)</sup> ita existimo ex moribus et doctrina ipsius et sufficientia, quam ostendit in publico magistratu Referendariatus. Quae mihi nota sunt ex conversatione, quam habuimus insimul in Aula Sacrae Regiae Maiestatis.

---

<sup>940</sup> Prior testis, Iacobus Doruchowski (vide supra), deposuit Henricum Firlej canonicum fuisse capituli Plocensis.

Deinde fuit deventum ad articulos super statu Ecclesiae Premisliensis.

Iuxta primum [51r] respondit: Civitas Premisliensis est in Provincia Russiae, et est in quodam colle. Civitas mediocris, muris cincta, subiecta est Sacrae Regiae Maiestati. In reliquis nescire. Et scio, quia fui in eadem Civitate.

Iuxta 2 respondit: Premisliae est Ecclesia Cathedralis, lapidea, pulchra. Et quando ibi fui, iam sunt decem anni, nulla egebat reparatione. Nescio, sub qua invocatione sit.

Iuxta 3 respondit: Est Ecclesia Episcopalis Premisliensis subiecta Archiepiscopo Leopoliensi. Et scio, quia sic dicitur.

Iuxta 4 respondit: In Ecclesia Premisliensi sunt quinque dignitates: Praepositus, Decanus, Archidiaconus, Cantor, Custos. Numerum Canonorum nescio. Sunt etiam Vicarii et Mansionarii, sed numerum ignoro; sicut ignoro redditus, tam Dignitatum quam aliorum. Concionator debet esse Theologus aut Magister saltem in Theologia. Et maior dignitas post pontificalem est Praepositura. An sit aliqua Poenitentiarum, vel alia Theologicalis praebenda, nescio. Praemissa autem scio, quia habeo bona vicina dictae Civitati Premisliensi<sup>941</sup>, in quibus aliquando versabar.

Iuxta quintum respondit nescire.

Iuxta 6 respondit: Habet dicta Ecclesia Premisliensis Chorum, Organum, Campanile cum campanis et Coemiterium. Et scio, quia omnibus patet et ibi saepius fui. In reliquis nescire.

Iuxta 7 respondit nescire.

Iuxta 8 respondit: Est Premisliae habitatio pro Episcopo prope Ecclesiam, lignea. An vero indigeat reparatione, nescio [51v]. Et scio, quia fui in eadem domo.

Iuxta nonum respondit: Dicitur Ecclesia Premisliensis<sup>x)</sup> valoris annui circiter florenorum decem millium, et percipiuntur ex cultura agri. Et hoc scio, quia ibi fui. Habet tres Civitates de mensa, scilicet: Prosoviam, Radomiam Jasliska<sup>942</sup>, neque subest alicui pensioni.

Iuxta X respondit: Nescio, quot Parrochiales Ecclesiae sint Premisliae. Non est alia Collegiata praeter Cathedralis. Et sunt ibi Patres Dominicani, Discalceati Carmelitae, Iesuitae. Sunt etiam Moniales, sed nescio cuius ordinis et an<sup>n)</sup> adhuc habeant completum Monasterium. In reliquis nihil scire. Causa scientiae, ut supra.

Iuxta XI respondit: Dioecesis Premisliensis protenditur quadraginta milliarum Polonica. Habet multa loca, civitates, oppida, quorum nomina recensere non possum.

Iuxta X2 respondit se nescire.

<sup>941</sup> Gens Grochowski ex Grochowce in terra Premisliensi originem duxit.

<sup>942</sup> Brzozów, Radymno et Jaśliska.

Iuxta X3 respondit: Ecclesia Premisliensis modo vacare debet, quia illius Episcopus Adamus est nominatus Posnaniensis<sup>943</sup>.

Ego Stanislaus Grokowski, Praepositus Sancti Michaelis in Arce Cracoviensi, deposui ut supra, et in fidem me subscripsi manu propria. Pro eodem contra quoscunque.

### Sextus testis

Eisdem anno, indictione et pontificatu, quibus supra, die vero tertia mensis Martii eiusdem anni, examinatus fuit ubi supra, per quem supra, Illustris et Rev.dus D.nus **Thobias Małakowski**, Abbas Paradisiensis, aetatis suae annorum 50, testis ex officio vocatus, cui oblato iuramento *etc.*, deposuit, prout infra, videlicet:

Iuxta [52r] primum respondit: Iam cognosco Rev.dum D.num Henricum Firlei et interfui eius Baptismo. Fuit enim baptizatus in oppido nuncupato Cimernik<sup>944</sup> Dioecesis Cracoviensis et in patrimonio Patru sui Henrici, qui postea fuit Archiepiscopus Gnesnensis. Et deinde fui cum eodem D.no Henrico Francofurti in incoronatione Imperatoris Matthiae<sup>945</sup>. Et deinde fuit notitia in Aula Sacrae Regiae Maiestatis huius Regni Poloniae continuata. Non sum illi consanguineus, cognatus, neque aemulus, neque odiosus.

Iuxta 2 respondit: Idem D.nus Henricus natus est in Dioecesi Cracoviensi, in bonis patrimonialibus sui Patru, in quadam villa, cuius nominis non recorder. Idque scio, quia tunc temporis, quando natus fuit, morabar cum dicto Patruo eiusdem, qui<sup>v</sup>) ipsum baptisavit, et ibi audivi natum in dictis bonis.

Iuxta 3 respondit: Idem D.nus Henricus natus est ex legitimo matrimonio atque ex honestis et Cattholicis Parentibus. Mater eius fuit ex nobilissima familia Opaliniorum, quae fuit semper Cattholica, quad sciam, quia Opaliniorum familia fuit semper Cattholica in hoc Regno. Parens vero fuit in iuventute Haereticus, sed postea factus est Cattholicus, antequam nasceretur praefatus D.nus Henricus. Et scio natum ex legitimo matrimonio, quia illius Parentes fuerunt communiter reputati pro legitimis viro et uxore, et uti tales invicem cohabitabant; et idem Henricus fuit communiter habitus pro eorum [52v] legitimo filio. Illius vero Patrem conversum ad fidem cattholicam scio, quia interfuit baptismo eiusdem D.ni Henrici, sui filii, secundum ritum Romanae Ecclesiae eidem collato, et quia vidi hic pluries in Aula Regia et frequentantem missas et pias actiones Cattholicorum; et communiter fuit reputatus optimus Cattholicus usque ad eius mortem.

<sup>943</sup> Nowodworski.

<sup>944</sup> Czemierniki prope Levartoviam (Lubartów).

<sup>945</sup> Matthias Austriacus (1557-1619), imperator ab a. 1612.

Iuxta 4 respondit: Puto dictum D.num Henricum explevisse trigessimum annum, quia quando interfui illius baptismo, agebam<sup>2)</sup> vigessimum annum circiter.

Iuxta 5 respondit: Idem D.nus Henricus iam est actu Presbyter, quem Ordinem suscepit Vratislaviae. Et hoc scio, quia audivi et idemmet scripsit litteras Versaviae<sup>aa)</sup>, quod brevi esset habiturus primum Sacrum Cestocoviae, sicuti dictum fuit hic in Curia celebrasse. Et credo iam ante sex menses eundem Ordinem suscepisse. Idque scio, quia procul dubio praedictae literae ante sex menses huc allatae et lectae fuerint.

Iuxta 6 respondit: Puto non diu versatum esse D.num Henricum in Ecclesiasticis functionibus et ordinum exercitio, quia quoad alios ordines non solent nobiliores in hoc Regno in illis se exercere, quo vero ad Presbyteratum, ipse est recenter factus Sacerdos et deinde habuit multas occupationes publicas, et etiam laboravit adversa valetudine. Non scio, an sit et fuerit frequens in Sacramentorum perceptione, puto tamen virum pium et devotum, quia communiter pro pio et devoto reputatur.

Iuxta 7 respondit: Idem D.nus Henricus semper catholice vixit [53r] et in fidei puritate permansit, ita enim est publica vox et fama. Et si aliquid in contrarium fecisset, certo facile scivissem, quia est persona insignis et diu versata in Curia Ser.mi Regis huius Regni, in qua et ego diu versatus sum et versor.

Iuxta 8 respondit: Idem D.nus Henricus est innocentia vitae bonisque moribus praeditus, bonae conversationis et famae. Et scio, quia de omnibus his est optima fama de ipso.

Iuxta 9 respondit: Scio eundem D.num Henricum esse virum gravem, prudentem et usu rerum praestantem, quia saepius audivi eundem de variis negociis et rebus disserentem, atque negocia publica officiumque Referendariatus, quod pluribus annis sustinuit, cum optima iustitia et satisfactione tractavit. Idque scio, quia ego quoque versatus in hac Curia Sacrae Regiae Maiestatis et aliquando eisdem negociis interfui et vidi atque eadem ab aliis audivi.

Iuxta X respondit: Nescio, an dictus D.nus Henricus assumpserit aliquem gradum in Iure Canonico vel Sacra Theologia. Audivi autem a pluribus eum dedisse operam Iuri Canonico, sed pro quanto tempore non audivi, neque in quo loco. Dicebatur tamen, quod diligenter studuerit. Et pro meo iudicio existimo eum tanta doctrina pollere, quae in Episcopo sit sufficiens ad alios docendum. Et ita existimo, quia audivi eum diligenter studuisse, et de eo semper dicebatur, quod sit [53v] intentus lectioni librorum, sicuti etiam expertus sum, dum illum aegrotum invisebam, quia vidi illum etiam infirmum habere prae manibus diversos libros eosque legentem. Et quia etiam in hoc officio Referendariatus Regni dedit bonum specimen suae doctrinae et sufficientiae, et in eo optimum sibi nomen comparavit. Quae scio, quia in Aula Regis versatus sum, prout ille, ut iam dixi.

Iuxta 11 respondit: Nescio, an idem D.nus Henricus curam animarum aliquando exercuisset, sed postquam habuit Abbatiam Tinencensem, audivi illum in iurisdictionali regimine laudabiliter et prudenter se<sup>d</sup> exercuisse, tractando cum Monachis de reformatione disciplinae monasticae. Et praemissa audivi a diversis personis ecclesiasticis. Imo ipse scripsi<sup>ac</sup>) literas Sacrae Regiae Maiestatis, instante eodem D.no Henrico, ad Caesarem Maiestatem, ut dignaretur transmittere Commissarios in Silesiam, cum quibus agi posset de recuperatione cuiusdam monasterii Orloviae<sup>946</sup>, pertinentis ad dictam Abbatiam Tinencensem, una cum suis bonis ab Haereticis occupatis, quae idem D.nus Henricus intendat recuperare. De eventu vero nihil mihi constat.

Iuxta X2 respondit: Idem D.nus Henricus nunquam dedit aliquod publicum scandalum circa fidem, mores, sive doctrinam, quod ego audiverim; et si dedisset, facile audivissem, quia antequam frequentaret Aulam Ser. mi Regis, tanquam persona egregia erat omnibus nota; [54r] et multo magis deinde propter publicum magistratum, unde talia potuissent innotescere; atque etiam ex conversatione, quam cum ipso habui, in notitiam meam venire potuisset, imo multi mirabantur in Aula, quod etiam in aetate iuvenili esset tam maturus in suis actionibus.

Iuxta decimum tertium respondit: Existimo eundem D.num Henricum idoneum ad bene regendam Ecclesiam Cathedralem, et praesertim Premisliensem, et dignum ut ad illam promoveatur, et illius promotionem futuram utilem Ecclesiae Premisliensi. Atque ita existimo ex illius moribus, pietate, doctrina, rerum experientia et aliis qualitibus, quas video esse in illo et quas habent et habere debent alii Episcopi. Et eas in ipso D.no Henrico reperiri scio<sup>d</sup>) ex conversatione, quam cum ipso habui, ex communi omnium sensu et iudicio, atque ex publico magistratu, quem hucusque laudabiliter gessit.

Super statu Ecclesiae Premisliensis non fuit interrogatus, quia dixit se non esse informatum.

Ego Thobias Małakowski, abbas Paradisiensis, deposui ut supra, et in fidem me subscribo manu propria. Pro eodem contra quoscumque.

### Septimus testis

Eisdem anno, indictione et pontificatu quibus supra, die vero quinta mensis Martii eiusdem anni, examinatus fuit per quem supra, ubi supra, Perillustris et Rev.dus D.nus Erasmus Czetkowski<sup>947</sup>, Cancellarius Ecclesiae [54v] Cathedralis Cracoviensis et Officialis et Vicarius Generalis Epi-

---

<sup>946</sup> Orłów in Silesia prope Fristadium. Tempore Reformationis Bernardini ibi amiserunt bona et ecclesiam. Ecclesiam recuperaverunt a. 1631.

<sup>947</sup> Kretkowski.

scopi Cracoviensis, aetatis suae annorum 35, testis ex officio vocatus, cui dilato iuramento *etc.*, deposuit prout infra, videlicet:

Et iuxta primum respondit: Ego cognosco D.num Henricum Firleum a quatuor, etiam quinque annis circa, et occasio cognoscendi fuit, quia comiserat mihi administrationem in spiritualibus suae Abbatiae Tinecensis, et etiam fui a [Ss.] mo Domino Nostro specialiter deputatus ad eundem in dicta Abbatia instituendum. Non sum eidem nimis familiaris, aliquando enim in necessitatibus dictae suae Abbatiae simul convenimus et interrogabat me de dictae suae Abbatiae rebus. Neque sum aemulus, neque odiosus illi.

Iuxta 2 respondit: Idem D.nus Henricus natus est in Dioecesi Cracoviensi, in bonis paternis. Nominis vero loci particularis non recordor. Idque scio ex testimonio Parochi illius parochiae, in qua dictus D.nus Henricus natus est.

Iuxta 3 respondit: Idem D.nus Henricus natus est ex legitimo matrimonio atque honestis et Cattholicis Parentibus. Idque scio ex fama publica, quia audivi communiter Parentes eius fuisse reputatos pro legitimis marito ex uxore, eundemque D.num Henricum pro eorum legitimo filio. Mater eius fuit ex eximia familia [55r] Opalinorum. Et communiter eius Parentes fuerunt habiti et reputati pro viris cattholicis, Parentes tamen illius non novi, sed pro talibus communiter reputari audivi a pluribus.

Iuxta 4 respondit: Idem D.nus Henricus est aetatis supra trigessimum annum, idque scio, quia audivi a Parocho Cernerecensi, Dioecesis Cracoviensis, in cuius Parochia dicitur natus dictus D.nus Henricus, eumque natum milleximo quingentesimo nonagesimo nono de mense Februarii, et quia etiam alias vidi literas testimoniales Sacrorum Ordinum ab eodem D.no Henrico susceptorum, et praesertim ex literis Subdiaconatus ei collati per Ill.mum et Rev.mum bonae memoriae olim Episcopum Plocensem<sup>948</sup>, quae sunt confectae de ano milleximo [sic] sexcentesimo vigesimo<sup>949</sup>, unde colligitur tunc temporis fuisse annorum viginti unius aut saltem attigisse, et propterea nunc agere trigessimum primum ad minus.

Iuxta quintum respondit: Scio eundem D.num Henricum esse actu Sacerdotem, quoniam interfui eius primo Sacro, quod celebravit in festo Sanctae Annae in anno proxime praeterito<sup>950</sup> in Ecclesia suae Abbatiae Tinecensis. Constituerat idem primum Sacrum celebrare Cestocoviae in Templo Divae Mariae, et cum iam omnia parata essent, illucque dictus D.nus Henricus pervenisset, fuit coactus recedere propter inchoatam ex improviso pestem in eodem monasterio Czustocoviensi.

Iuxta 6 [55v] respondit: Idem D.nus Henricus pluries post dictum Sacrificium Missam celebravit. Idque scio, quia vidi ipsum aliquoties in

<sup>948</sup> Henricus Firlej, cfr. supra.

<sup>949</sup> Cfr. infra.

<sup>950</sup> 26 VII 1630.

eadem sua Abbatia Tinecensi celebrantem et etiam Cracoviae ad Sanctum Stanislaum. De reliquis Ordinibus nescio, si in illis se exercuerit. Communiter etiam reputatur vir pius et devotus. Ego non vidi illum, antequam esset Sacerdos. Vidi Sacram Communionem suscipientem, sed aliquoties confitentem, et praesertim quando ego eundem institui in Abbatem eiusdem Abbatiae Tinecensis, ad quam institutionem accessit summa cum pietate et devotione.

Iuxta 7 respondit: Ex quo cognoscere coepi eundem D.num Henricum, semper vidi catholice viventem et in fidei puritate permanentem. Et audi vi etiam esse talem. Vidi enim illum frequentantem pias catholicorum functiones atque sacris functionibus in Ecclesiis Catholicorum interessentem.

Iuxta 8 respondit: Optime possum testari eundem D.num Henricum praeditum vitae innocentia bonisque moribus et esse bonae conversationis et famae, tam ex conversatione, quam cum ipso habui, tum etiam ex communi reputatione.

Iuxta nonum respondit: Scio eundem D.num Henricum esse virum gravem, prudentem et usu rerum praestantem. Et scio propter publicum Referendariatus magistratum Regni, quem<sup>d</sup> cum maxima laude gessit cum omni satisfactione; et quia [56r] etiam audi vi pluries eundem de rebus catholicis docte et prudenter discurrentem. Et scio eum se bene et prudenter gessisse in dicto magistratu, quia etiam ego saepius fui in Aula huius Ser.mi Regis et interfui functionibus sui magistratus. Et ita etiam communiter ab aliis audi vi.

Iuxta X respondit: Nescio, an dictus D.nus Henricus aliquem gradum assumpserit in Iure Canonico vel Sacra Theologia. Possum tamen bene testari eum ea doctrina pollere, quae in Episcopo requiritur, ut possit alios docere, ipse enim saepius cum illo loquutus sum de variis ecclesiasticis negociis et audi vi illum bene discurrentem per canones et iura civilia, quorum cognitionem habere debet pro recte sustinendo officio magistratus Referendariatus Regni, sicuti optime sustinuisse<sup>ad</sup> scio, quia est publica vox et fama in Aula Sacrae Regiae Maiestatis et in Regno.

Iuxta XI respondit: Non scio dictum D.num Henricum se exercuisse in cura animarum vel alterius Ecclesiae regimine<sup>ae</sup>).

Iuxta X2 respondit: Non scio eundem D.num Henricum aliquando dedisse aliquod publicum scandalum circa fidem, mores, sive doctrinam. Si dedisset, ego scivissem, quia ille morabatur in Dioecesi Cracoviensi, in qua ego fui Officialis sive Vicarius Generalis pe quatuor annos et modo etiam sum; et quia ille est publice versatus in Aula Sacrae Regiae Maiestatis, et etiam persona notissima et insignis. Neque ullum habet corporis aut animi vitium, neque alio canonico [56v] impedimento tenetur, quominus possit ad Ecclesiam Cathedralem promoveri. Et si aliquid tale ha-

buisset aut haberet, facile scirem propter conversationem, quam cum ipso habui, aut ab aliis audivissem.

Iuxta X3 respondit: Existimo eundem D.num Henricum idoneum ad bene regendam Ecclesiam Cathedralem, et praesertim Premisliensem, dignumque ut ad illum promoveatur, atque illius promotionem futuram utilem et proficuum. Et ita existimo, quia est persona dignissima ex familia, ex doctrina, ex moribus, ex prudentia, ex pietate, quae in ipso sunt, ut iam dixi. Ex quibus pro certo habeo eundem esse promoturum bonum eiusdem Ecclesiae.

Super statu Ecclesiae non fuit interrogatus, quia dixit se non esse informatum.

Ego Erasmus Kretkowski, Canonicus et Officialis Generalis supra-scriptus, sic deposui et in fidem me subscribo manu propria. Pro eodem contra quoscumque.

### Octavus testis

Eiusdem anno, indictione et pontificatu quibus supra, die vero quinta eiusdem, examinatus fuit ubi supra, per quem supra, Rev.dus D.nus **Laurentius Lemka**, medicinae doctor, aetatis suae annorum 52, testis ex officio vocatus, cui *etc.*, deposuit prout infra, videlicet:

Iuxta primum: Ego cognosco Rev.dum D.num Henricum Firleum usque iam ab ipsius infantia; et causa cognitionis fuit, quia plus quam viginti annis fui medicus D.ni [Ioannis] [57r] Firlei, Patris ipsius D.ni Henrici. Non sum consanguineus, cognatus neque affinis, neque sum illi nimium familiaris, sed aliquando ad ipsum accedo curationis causa; neque sum illi aemulus, neque odiosus.

Iuxta 2 respondit: Idem D.nus Henricus natus est in Dioecesi Cracoviensi, in bonis paternis in pago seu Curia Dembicza<sup>951</sup>. Idque scio, tum quia pluries a Patre illius audivi, tum quia est notorium ita, ut pro certo affirmare possim.

Iuxta 3 respondit: Ita est, quod idem D.nus Henricus natus est ex legitimo matrimonio, honestis atque Catholicis Parentibus. Mater eius vocabatur Gertrudis<sup>a)</sup>, ex nobilissima familia Opalinorum, soror germana prae[dicti]<sup>p)</sup> Magni Marsalchi huius Regni<sup>952</sup>. Et dicta D.na Gertrudis et D.nus Ioannes Firleus fuerunt communiter habiti et reputati pro legitimis viro et uxore, et idem D.nus Henricus pro eorum legitimo filio. Et ambo Parentes fuisse Catholicos. Scio, quia saepe utrumque scio frequentantes et frequentes in piis Catholicorum exercitiis, atque pro talibus ab omnibus communiter habiti et reputati sunt, et in tali statu sunt mortui. Quod scio ex conversatione iam habita in dicta domo.

<sup>951</sup> Dębica in paroecia Czemiernicensi prope Levartoviam.

<sup>952</sup> Lucae Opaliński, cfr. supra notam 919.

Iuxta 4 respondit: Idem D.nus Henricus iam explevit annum trigessimum, quia scio eum natum esse decima quinta Februarii, anni millesimi quingentesimi nonagesimi noni. Idque scio, quia, ut dixi, fui familiaris medicus D.ni Ioannis, eius Patris, et ab eo pluries audiui [57v] dictum D.num Henricum tempore praedicto natum; immo in quodam libro memoriali ipsius D.ni Ioannis egomet perlegi istam notam scriptam manu propria ipsius D.ni Ioannis, quae mihi est bene nota ex causa iam dicta, videlicet in hoc verbo: "Natus est mihi filius Henricus decima quinta Februarii millesimo quingentesimo nonagesimo nono, circa mediam noctem sub signo Saturni et Iovis, Venere administrante, existente Sole in cauda Draconis, secunda die post eclipsim Lunae".

Iuxta 5 respondit: Audiui ab eodem D.no Henrico et ab ipsius familiaribus eum factum Sacerdotem Vratislaviae, et primum Sacrum celebrasse in Abbatia Tinecensi. Et dicti familiares dixerunt etiam se dicto primo Sacro illius interfuisse.

Iuxta 6 respondit: Nescio, an sit in exercitio Ordinum et ecc[lesiasticis] functionibus exercitatus idem D.nus Henricus. Et antequam esset Sacerdos, frequens fuit in susceptione Sacramentorum et devotus. Idque scio, quia vidi ipsum frequentem [sic] communicantem. Et revera est vir devotissimus.

Iuxta 7 respondit: Semper catholice vixit et in fidei puritate permansit. Et ita usque a pueritia semper talem cognovi eundem D.num Henricum; pro tali etiam semper fuit communiter reputatus. Et a pueritia studuit apud Patres Societatis Iesu Lublini.

Iuxta 8 respondit: Idem D.nus Henricus est innocentia vitae praeditus, bonis moribus, bonae conversationis et famae. Scit optime regere suam familiam et optime regit publicum magistratum [58r] Referendariatus Regni. Et praemissa scio, quia fui saepius apud ipsum et mansi apud ipsum per aliquas septimanas et nunquam domi eius aliquid sinistrum vidi neque audiui. Et posset tota Aula Regia de illius optima vita testimonium dare.

Iuxta nonum respondit: Existimo eundem D.num Henricum virum gravem, prudentem, eruditum, doctum et usu rerum praestantem, quia video eum continuo incumbentem lectioni de rebus sacris, historicis, politicis. Nunquam otiosus manet. Etiam credo, quod cum Sacra Regia Maiestas contulit eidem magistratum Referendariatus Regni, iam bene in omnibus istis expertus fuerit. In hoc enim magistratu debet rerum agendarum et iudicandarum peritiam habere, cum referat omnes causas suae Regiae Maiestati atque etiam iudicium exerceat inter Capitaneos et Rusticos, si quando Rustici de illis conqueruntur. Et quoque causas iudicandas refert in publicis Comitibus. Atque<sup>w)</sup> in tali magistratu obeundo optimam sibi comparavit famam apud omnes, quamvis saepius sit infirmus, nec potuerit eidem magistratui continue incumbere. Quae omnia mihi nota sunt,

tum ex conversatione, quam cum D.no Henrico habui in Aula Regiae Maie-  
statis, et ita etiam omnes dicunt et re vera est omnibus persona gratissi-  
ma.

Iuxta X respondit: Nescio, an habeat aliquem gradum in Sacra Theolo-  
gia vel in Iure Canonico. Hoc scio eundem D.num Henricum Parisiis et Bo-  
noniae [58v] et Perusiae operam dedisse<sup>95g)</sup> Iuri Civili et Canonico per plu-  
res annos. Habet bonam sufficientiam in istis facultatibus. Et hoc scio,  
quia audivi ab ipsomet et ab aliis de eius familia, et praesertim ab eo, qui  
praerat in omnibus locis iuventuti illius, cuius praefecti<sup>ah)</sup> nominis non re-  
cordor. Existimo illum et doctrina pollere, quae in Episcopo requiritur ad  
alios docendum, ex causis praedictis, et quia etiam praeteritis mensibus,  
dum laborabat morbo artretico, vidi eundem perlegentem Acta Ecclesiae  
Mediolanensis Divi Caroli<sup>953</sup>.

Iuxta XI respondit: Non puto eundem D.num Henricum aliquando  
exercuisse curam animarum aliquam. Est etiam Abbas Tinencensis, non  
puto tamen ibi haberi curam animarum, et nescio, an inibi aliquod regi-  
men exercuerit.

Iuxta XII respondit: Quantum mihi constat de moribus et probitate vi-  
tae eiusdem D.ni Henrici, nullum scio scandalum dedisse circa fidem, nec  
mores, neque doctrinam, sed semper fuit apud omnes optimae existima-  
tionis, vir Catholicus et zelator Pietatis. Quae etiam scio ex conversatio-  
ne, quam cum ipso habui. Et si dedisset aliquod scandalum, scivissem vel  
audivissem ex causis praedictis et quia est persona satis bene nota. Nec  
mihi constat corporis, nec animi vitio, aliove canonico impedimento teneri,  
quominus possit ad Ecclesiam Cathedralem promoveri.

Iuxta X3 respondit: Existimo in omni iudicio existimatur idem D.nus  
Henricus idoneus ad bene regendam Ecclesiam Cathedralem, praesertim  
[59r] Premisliensem, et dignus qui ad illam promoveatur, eiusque promo-  
tionem profiguam futuram eidem Ecclesiae. Atque ita existimo propter ip-  
sius D.ni Henrici nobilitatem, bonos mores, bonam famam, prudentiam,  
dexteritatem atque in rebus sacris studium. De quibus omnibus iam sup-  
ra deposui.

Super statu Ecclesiae Premisliensis non fuit interrogatus, quia dixit  
se nescire. Ego Laurentius Lemka, medicinae doctor, sic ut supra deposui  
et in fidem me subscribo manu propria. Pro eodem contra quoscumque.

### Nonus testis

Eisdem anno, indictione, pontificatu quibus supra, die vero septima  
mensis Martii eiusdem anni, examinatus fuit ubi supra, per quem supra,  
Illustris D.nus Nicolaus Firlei, Castellanus Woinicensis et Capitaneus

<sup>953</sup> Acta Synodalia S. Caroli Borromaei, primum edita a. 1582.

Lublinensis, aetatis suae annorum 40, testis ex officio vocatus, cui dilato iuramento *etc.*, deposuit, prout infra, videlicet:

Iuxta primum respondit: D.nus Henricus Firlei est meus Patruelis<sup>954</sup> et propterea eum bene cognosco et novi ab infantia fere ipsum, et propter propinquitatem sumus insimul familiares; et administravi illius fere infantis bona. Neque sum illi aemulus, neque odiosus.

Iuxta 2 respondit: Idem D.nus Henricus natus est in quodam pago patrimoniali nuncupato Dembicza<sup>955</sup>, Dioecesis Cracoviensis, Palatinatus Lublinensis. Et scio ex causa praedicta.

Iuxta tertium respondit: Scio eundem D.num Henricum [59v] natum ex legitimo matrimonio et ex honestis et Cattholicis Parentibus. Et scio, quia Pater ipsius D.ni Henrici, frater germanus Patris mei, fuit meus tutor. Mater ipsius D.ni Henrici vocabatur Gertrudis, ex familia Opaliniorum. Et communiter Parentes ipsius D.ni Henrici fuerunt habiti et reputati pro legitimis viro et uxore, et dictus D.nus Henricus pro eorum legitimo filio. Et iidem Parentes communiter habiti et reputati sunt pro Cattholicis. Pater quidem ipsius D.ni Henrici natus est Haereticus, sed ad Cattholicam fidem fuit conversus Romae opera Eminentissimi olim Cardinalis Belarminii, licet tunc temporis non erat Cardinalis<sup>956</sup>. Et antequam haberet dictum filium Henricum, erat Cattholicus.

Iuxta quartum respondit: Idem D.nus Henricus praeterito proxime mense Februarii explevit vel hoc mense expleturus est trigessimum secundum annum, quia natus est anno millesimo sexcentesimo nonagesimo nono. Et hoc bene recordor, quia quando fuit ad Patrem meum oblatum nuncium de nativitate dicti D.ni Henrici, ipse ego eram Patre meo in nuptiis Petri Firlei, mei Patruis<sup>957</sup>, ad quas etiam erat invitatus Pater ipsius D.ni Henrici, qui propterea se excusavit, quoniam volebat eundem D.num Henricum eodem tempore solemniter baptizare. Quae nuptiae celebratae fuerant eodem anno milleximo quingentesimo nonagesimo nono tempore Bacchanalium. Deinde non fuit interrogatus ulterius [60r] per eundem Ill. mum et Rev. mum D.num Nuncium iustis de causis, et praesertim quia fuit assumptus testis solum circa probationem aetatis. Ego Nicolaus Firlei in Dambrovica, Castellanus Voinicensis, Capitaneus Lublinensis, ut supra deposui et in fidem me subscribo manu propria.

\*

<sup>954</sup> Pater Nicolai Firlej, Nicolaus (†1599), erat frater germanus Ioannis Firlej, patruis Henrici.

<sup>955</sup> Cfr. supra notam 952.

<sup>956</sup> S. Robertus Bellarminus (†1621), card. ab a. 1599.

<sup>957</sup> Petrus Firlej.

Ill.mus et Rev.mus D.nus Nuntius Apostolicus mandat per eundem Rev.dum Patrem D.num Henricum Firleum in actis praesentis Curiae nostrae exhibere, si quae habet publica documenta Sacerdotii, reliquorum Ordinum, gradus in Sacra Theologia vel Iure Canonico, nec non aetatis, ad omnem bonum finem et effectum omnium.

Eadem die dictus Rev.dus Pater D.nus Henricus Firlei, habita notitia supradicti decreti, per eundem Ill.mum et Rev.mum D.num Nuncium ut supra facti, ad docendum iuxta dispositionem et tenorem praefati decreti et prout in eo continetur, facto produxit literas testimoniales Subdiaconatus, Diaconatus et Sacerdotii, tenoris ut infra, in publicam et authenticam formam, animo tamen reportandi domi copiam collatam; et insuper dixit ex testimonio susceptionis Subdiaconatus constare de eius legitima aetate, cum iuxta Sacrosancti Concilii Tridentini decreta huiusmodi Ordo non nisi existenti in vigesimo primo anno conferri possit, petens in processu registrari<sup>ai</sup>). Tenor vero dictarum literarum est qui sequitur, videlicet.

### [Testimonium] Subdiaconatus

Henricus Firlei de Dambroviza, Dei et Apostolicae Sedis gratia Episcopus Plocensis, universis et singulis praesentes literas inspecturis notum facimus, quod nos Sabbatho ante Dominicam decimam post Pentecosten proximam, ipso die solemni [60v] Assumptionis Beatissimae Virginis Mariae<sup>958</sup>, in Ecclesia Parochiali villae nostrae Przewodowo<sup>959</sup>, infra missarum solemnia, dilectum nobis in Christo Adm. Rev.dum Henricum Firlei de Dombrovicza, accolitum Cathedralis Plocensis et Collegiatae Poltoviensis Canonicum, nepotem nostrum carissimum, prius ex praescripto decretorum Sacrosancti Concilii Tridentini de omnibus regulis rite et sufficienter examinatum, inde dignum et idoneum reputatum, adhibitis circa hoc solemnitatibus opportunis, iuxta ritum et consuetudinem Sacrosanctae Romanae Ecclesiae, sufficienti ad conferendos Sacros Ordines extra tempora ad id a iure statuta, per literas Ss.mi D.ni N.ri D.ni Pauli, divina providentia Papae V, in forma brevis sub anulo Piscatoris nobis directis, de quibus in actis Cancellariae nostrae constat, facultate suffulti, ad Sacrum Subdiaconatus Ordinem duximus ordinandum et promovendum, promovimus et ordinavimus. In cuius testimonium praesentibus, manu nostra subscriptis, sigillum nostrum est appensum. Datum [in] curia Nostra Episcopali Przewodoviensi, die qua supra, anno D.ni 1620. Henricus Firlei de Dombrovicza, Episcopus Plocensis. Loco + sigilli.

<sup>958</sup> 15 VIII.

<sup>959</sup> Przewodowo, villa eporum Plocensium.

**[Testimonium] Diaconatus et Presbiteratus**

Nos, Ioannes Balthassar Liesch de Hornaw, Dei et Apostolicae Sedis gratia Episcopus Nicopolitanus, Suffraganeus et Canonicus Vratislaviensis, Ecclesiae Sanctae Crucis ibidem Praepositus, Sacrae Caesareae Maiestatis Consiliarius<sup>960</sup>, fidem facimus et tenore praesentium attestamus, quod anno Virginei Partus 1629, Sabbatho Quatuor Temporum, quod erat 22 mensis Decembris, Perillustrem ac Rev.mum D.num Henricum Firleum de [61r] Dambrovicza, Regni Poloniae Refendarium et Abbatiae Tinecensis Administratorem perpetuum, praevio prius examine in Cathedrali Ecclesia Sancti Ioannis Vratislaviae, cooperante nobis Divina Providentia, cum caeremoniis solitis, iuxta Ecclesiae Romanae ritum ac consuetudinem in Diaconum anno 1630, in Angaria Cinerum (erat vigesima tertia mensis Februarii) in Presbiterum promoverimus ac ordinaverimus, circa propter has praesentes nostras literas exinde fieri et sigilli nostri iussimus appensione muniri. Actum Vratislaviae, in Curia et Domo residentiae nostrae, diebus et annis quibus supra. Ioannes Balthassar, Episcopus Nicopolitanus, Suffraganeus Vratislaviensis.

Loco + sigilli

**[Attestatio Nuntii]**

Quibus quidem omnibus et singulis praemissis sicut supra gestis, praedictus Rev.dus Pater D.nus Henricus Firlei, Abbas Tinecensis, hac infrascripta die coram nobis, ut supra, personaliter et omni qua decuit reverentia comparuit, petitque se admitti ad praestandum solitum iuramentum professionis fidei, literasque et processum de et super omnibus et singulis praemissis factum et fabricatum claudi et sigillari ac clausum et sigillatum, ut moris est, sibi decerni, extradi, ad effectum ut supra petitem.

Quocirca Nos, Comes Honoratus Vicecomes, Archiepiscopus Larissenus et Nuncius Apostolicus antedictus, requisitionem huiusmodi esse iustam et rationi consonam [considerantes], eundem Rev.mum Patrem D.num Henricum Firlei praesentem ad praedictam fidei professionem praestandam admittimus.

Qui quidem Rev.dus Pater D.nus Henricus Firlei antedictus genu flexus coram nobis in praesentia Notarii Actuarii [61v] nostri testiumque infrascriptorum ad Sancta Dei Evangelia iuramentum professionis fidei tenoris infrascripti emisit et praestitit, eidemque literas et processum clausum et sigillatum concedendum iussimus, prout per praesentes concedimus, decernentes praedictis omnibus et singulis tamquam rite et recte ge-

---

<sup>960</sup> Ioannes Balthasar Liesch de Hornau (1592-1661), ab a. 1625 epus tit. Nicopolitanus, suffraganeus Vratislaviensis, ab a. 1635 praepositus Ecclesiae Vratislaviensis et administrator dioecesis

stis plenam et indubitata[m] ab omnibus ubique locorum adhibendam esse fidem in iudicio et extra. In quorum fidem has praesentes, manu nostra propria subscriptas, per infrascriptum Curiae nostrae Notarium Actuarium subscribi mandavimus, sigillique nostri, quo in talibus utimur, iussimus et fecimus impressione communiri. Datum Varsaviae, in Palatio nostrae solitae residentiae, sub anno a Nativitate Domini Nostri Iesu Christi milleximo sexcentesimo trigessimo primo, die vero octava mensis Martii, Pontificatus autem Ss.mi in Christo Patris et Domini Nostri D.ni Urbani, divina providentia Papae Octavi, anno eius octavo. Ego, Comes Honoratus Vicecomes, Archiepiscopus Larissenus, Nuncius Apostolicus, fidem supradictis testibus adhibendam esse censeo et de promovendo bene sentio.

### [Iuramentum promovendi]

Tenor iuramenti professionis fidei est qui sequitur, videlicet: <sup>(aj-</sup>Ego, Henricus Firlei, Abbas Tinicensis<sup>aj)</sup>, firma fide credo et profiteor omnia et singula, quae continentur in symbolo fidei, quo Sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet: Credo in Unum Deum, Patrem Omnipotentem, factorem Coeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium; et in unum Dominum Iesum Christum, filium [62r] Dei unigenitum et ex Patre natum ante omnia saecula; Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero; genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de coelis et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus et sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum Scripturas, et ascendit in Coelum; sedet ad dexteram Patris, et iterum venturus est cum gloria iudicare vivos et mortuos, cuius Regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum, Dominum et vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit; qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur; qui loquutus est per Prophetas. Et Unam, Sanctam, Catholicam et Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum et expecto resurrectionem mortuorum, et vitam venturi saeculi. Amen.

Apostolicas et Ecclesiasticas Traditiones, reliquasque eiusdem Ecclesiae observationes et constitutiones firmissime admitto et amplector. Item Sacram Scripturam iuxta eum sensum, quem tenuit et tenet Sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Sacram Scripturarum, admitto, nec eam unquam nisi iuxta unanimem consensum Patrum accipiam et interpretabor. Confiteor quoque septem esse vere et proprie Sacramenta Novae Legis, a Iesu Christo Domino Nostro instituta [62v] atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria, scilicet: Baptisma, Confirmationem, Eucharistiam, Poeni-

tentiam, Ordinem et Matrimonium, illaque gratiam conferre. Et ex his Baptismum, Confirmationem et Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque et approbatos Ecclesiae Catholicae ritus in supradictorum omnium Sacramentorum solemnī administratione recipio et admitto. Omnia et singula, quae de peccato originali et de iustificatione in Sacrosancta Tridentina Sinodo definita et declarata fuerunt, amplector et recipio. Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum, proprium et propitiatorium Sacrificium pro vivis et defunctis, atque in Sanctissimo Eucharistiae Sacramento esse vere, realiter et substantialiter Corpus et Sanguinem una cum anima et divinitate Domini Nostri Iesu Christi, fierique conversionem totius substantiae panis in Corpus et totius substantiae vini in Sanguinem. Quam conversionem Catholica Ecclesia transubstantiationem appellat. Fateor etiam sub altera tantum specie totum atque integrum Christum verumque Sacramentum sumi. Constanter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis succurri. Similiter et Sanctos una cum Christo regnantes venerandos atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum Reliquias esse venerandas. Firmissime assero Imagines Christi [63r] ac Deiparae semper Virginis, nec non aliorum Sanctorum habendas et retinendas esse, atque eis debitum honorem ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum Christiano populo maxime salutarem esse affirmo. Sanctam Catholicam et Apostolicam Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum Matrem et Magistram agnosco. Romanoque Pontifici, Beati Petri, Apostolorum Principis, successori ac Iesu Christi Vicario, veram obedientiam spondeo ac iuro. Caetera item omnia a Sacris Canonibus et Ecumenicis Conciliis, ac praecipue a Sacrosancta Tridentina Sinodo, tradita, definita et declarata indubitanter recipio atque profiteor. Simulque contraria omnia atque haereses quascunque, ab Ecclesia damnatas et reiectas et anathematizatas, ego pariter damno, reicio et anathematizo. Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in praesenti sponte profiteor et veraciter teneo, eandemque integram et inviolatam usque ad extremum vitae spiritum constantissime, Deo iuvante, retinere et confiteri, atque a meis subditis vel aliis, quorum vita ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri et praedicari, quantum in me erit, curaturus. <sup>(aj)</sup>Ego, idem Henricus Firlei, Abbas qui supra, spondeo, voveo ac iuro. Sic me Deus adiuvet et haec Sancta Dei Evangelia<sup>(aj)</sup>.

### [Attestatio Nuntii]

<sup>(ak)</sup>Ego, Comes Honoratus Vicecomes, [63v] Archiepiscopus Larissenus, Nuncius Apostolicus, scriptam fidei professionem recepi et admissi<sup>(ak)</sup>.

### Attestatio Notarii

In nomine Domini. Amen. Anno a salutifera Nativitate eiusdem Domini Nostri Iesu Christi milleximo sexcentesimo trigessimo primo, indictione 14, die vero octava mensis Martii, pontificatus autem Ss.mi in Christo Patris et Domini Nostri D.ni Urbani, divina providentia Papae Octavi, anno octavo. Praesenti publico instrumento cunctis ubique pateat evidenter et sit notum, qualiter in mei testiumque praesentia personaliter constitutus Perillustris et Rev.mus D.nus Henricus Firleus, genuflexus coram Ill.mo et Rev.mo D.no Comite Honorato Vicecomite, Nuncio Apostolico, Archiepiscopo Larisseno, et in ipsius manibus suprascriptam professionem fidei de verbo ad verbum solemniter emisit, ad praescriptum Constitutionis felicis recordationis Pii Papae Quarti, atque, ubi proprium nomen est expresum, illud sua propria manu idem Perillustris et Rev.mus D.nus Henricus Firlei scripsit, praedictamque professionem praedictus Ill. mus et Rev.mus D.nus Nuncius Apostolicus recepit et admisit. Et subsequenter memoratus Rev.mus D.nus Henricus, medio iuramento illi ab eodem Ill.mo et Rev.mo D.no Nuncio Apostolico delato, ab ipsoque tacto pectore more Praelatorum et Ecclesiasticorum praestito, affirmavit se nunquam Dei gratia simoniae labem contraxisse, neque in futurum contracturum, et quatenus praelibati Ss.mi Domini Nostri Papae eiusque Sanctae Sedis Apostolicae gratia et benignitate ad Episcopatum Premisliensem promoveatur [64r] sibi de illo provideatur, beneficiatos clericalem habitum decenter deferre faciet, bonaque dicti Episcopatus inconsulto Summo Pontifice Romano non alienabit, illaque ab aliquo nunquam patietur alienari, immo pro posse suo recuperabit occupata et male detenta, neque Haereticos bona dicti Episcopatus habere et retinere permittet.

Super quibus omnibus et singulis praemissis idem Rev.mus D.nus Henricus Firlei petiit a me, Notario publico infrascripto, ut unum vel plura publicum seu publica exinde conficerem et traderem instrumentum et instrumenta. Actum Varsaviae, in Palatio solitae residentiae et in cameris dicti Ill.mi et Rev.mi D.ni Nuncii Apostolici, praesentibus ibidem et audientibus Perillustri et Rev.do D.no Francisco Turre, Prothonotario Apostolico, Generali Auditore eiusdem Ill.mi et Rev.mi D.ni Nuntii, nec non Adm. Rev.dis D.nis Stanislao Zercovicz IUD, Cracoviensi, et Gavello Gavelli, eiusdem Ill.mi et Rev.mi D.ni familiaribus et domesticis, testibus ad praemissa omnia et singula vocatis, habitis specialiter atque rogatis et requisitis.

Ego, Alexander Barnabeus Pharensis, Clericus, publicus Apostolica autoritate Notarius in Archivo Curiae Romanae descriptus, nec non Curiae Causarum dicti Ill.mi et Rev.mi D.ni Nuncii Apostolici Notarius Actuarius, quia omnibus et singulis praemissis, dum, sicut praemittitur, [64v] fierent et agerentur, per praedictum Ill.mum et Rev.mum D.num

Nuncium Apostolicum et coram eodem Pronotario publico una cum praenominatis testibus rogatus praesens interfui, eaque sic fieri vidi et audivi ac in notam sumpsi, ideoque hunc praesentem processum confeci et in hanc publicam et authenticam formam redegi, signoque, nomine et cognomine meis munivi consuetis, in fidem et testimonium omnium et singulorum praemissorum rogatus et requisitus.

### [Attestatio Nuntii]

Nos, Comes Honoratus Vicecomes, Archiepiscopus Larissenus et in hoc amplissimo Poloniae Regno Nuncius Apostolicus, universis et singulis praesentes visuris, lecturis pariter et audituris attestamur testimoniumque veritatis perhibemus, supradictum Alexandrum Barnabeum Pharensensem esse publicum et authenticum Notarium ac Curiae huius nostrae Causarum Cancellarium, suisque scripturis, tam publicis quam privatis, in iudicio et extra, semper adhibendam et de praesenti plenam ac indubitatum dandam fidem. In quorum etc. Datum ex Palatio nostrae mansionis Varsaviensis, hac die nona Mensis Martii 1631.

(al-Honoratus Archiepiscopus Larissenus  
Nuncius Apostolicus manu propria<sup>al</sup>)  
(am-I[oannes] Bap[tista] Rinalducus a secretis  
manu propria<sup>am</sup>)<sup>961</sup>

- |  |   |
|--|---|
| a) <i>In ms:</i> tactore   | p) <i>Macula.</i>   |
| b) <i>Sequitur expunctum:</i> in manibus<br>Rev.mi et Ill.mi D.ni Nuntii | r) <i>Correctum ex:</i> 29  |
| c) <i>In ms:</i> nullum  | s) <i>Adscriptum supra expuncto:</i> vixisse  |
| d-d) <i>Correctum ex:</i> Italiam et Galliam                             | t) <i>Sequitur expunctum:</i> ubi etiam   |
| e) <i>In ms:</i> constansanbant  | u-u) <i>Adscriptum in margine cum</i><br><i>adnotatione:</i> Approbo, idem Alexander (manu Alexandri Barnabei). |
| f) <i>Suprascriptum.</i>   | v-v) <i>Adscriptum in margine.</i>  |
| g) <i>Sequitur post expunctum:</i> In                                    | w) <i>In ms:</i> Adquae   |
| h-h) <i>Correctum ex:</i> Eandem Ecclesiam                               | x) <i>In ms:</i> Premisliae   |
| i) <i>Sequitur copia abbreviationis:</i> mppa                            | y) <i>Correctum ex:</i> quis  |
| j) <i>In ms:</i> quidam  | z) <i>Correctum ex:</i> agebat  |
| k-k) <i>In ms:</i> innocentiae vita                                      | aa) <i>Mutatam ex Germanico:</i> Breslavia  |
| l) <i>Sequitur expunctum:</i> impedimentum                               | ab) <i>Sequitur expunctum:</i> di la  |
| m) <i>Correctum ex:</i> instructurae                                     | ac) <i>In ms:</i> Scripsit, sed videtur agi<br>hic de ipso Małachowski  |
| n) <i>Correctum ex:</i> millibus Virginibus                              |   |
| o) <i>Sequitur expunctum:</i> In   |   |

<sup>961</sup> *Sequuntur in f. 65r subscriptiones originales cardinalium in processu definitivo curiali:* "Ego Cosmus, Cardinalis de Torres, relationem facturus pro certo existimo Rev.dum Henricum Firleium, Abbatem Tinencensem idoneum esse, ut ad Ecclesiam Premisliensem promoveatur, si super defectu gradus et super eo, quod in processu non habetur originale professionis fidei, sed copia a notario extracta, Ss.mo D.no N.ro dispensare placuerit.

Idem censeo ego, D[ominicus], Epus Ostiensis, Card. Ginnesius.

Idem, tituli S. Laurentii in Lucina Presbiter Card. Capponus.

Ego Hippolitus Diaconus Card. Aldobrandinus idem censeo".

- ad) *Sequitur expunctum: et*  
 ae) *Sequitur expunctum: exercuisse*  
 af) *Sequitur verbum expunctum illegibile.*  
 ag) *In ms: dedissem*  
 ah) *Sequitur expunctum: Do*  
 ai) *Sequitur: tenoris*  
 aj-aj) *In originali professionis fidei,*  
*conservato in Civitate Aquilana (AS,*  
*Arch. Dragonetti de Torres, ms. 111 f.*  
*228r-v) haec scripta sunt manu*  
*ipsius Henrici Firlej.*

- ak-ak) *In originali (ut supra, f. 228v-*  
*229r) attestatio autographa nuntii*  
*ita sonat: Supradictam fidei*  
*professionem [sic] recepi et admisi*  
*ego Honoratus Vicecomes, Aepus*  
*Larissenus, Nuntius Apostolicus.*  
*Sequitur abbreviata attestatio*  
*notarii.*  
 al-al) *Manu Honorati Visconti.*  
 am-am) *Manu Ioannis B. Rinalducci.*

#### A. 4.

### **Processus informativus Melchioris Eliaszewicz ad episcopatum Samogitiensem promovendi, ab Honorato Visconti confectus**

Varsaviae, 7 III - 10 IV 1631.

*Nuntiata Melchioris Eliaszewicz nominatione ad episcopatum Samogitiensem, post Abrahami Wojna ad sedem Vilnensem translationem vacantem, significat initium processus informativi, enumerat interrogationes de candidato et dioecesi Samogitiensi testibus propositas, testium nomina adducit et refert responsa: Bartholomaei Cieszyński, canonici Vilnensis; Marciani Tryzna, referendarii Magni Ducatus Lithuaniae; Matthaei Kobyliński, canonici Samogitiensis; Andreae Burczak, canonici Mednicensis; Hieronymi Wołłowicz, capitanei generalis Samogitiae; Nicolai Ponetici, archidiaconi Samogitiae; Alberti Stanislai Radziwiłł, cancellarii supremi Magni Ducatus Lithuaniae. Sequuntur: textus iuramenti et cetera documenta sicut in A. 3. In annexis: formula originalis iuramenti Melchioris Eliaszewicz, cum eius subscriptione et attestazione nuntii, attestatio studiorum ab eodem Eliaszewicz in Academia Societatis Iesu Vilnensi absolutorum, cum attestazione notarii Alexandri Barnabei.*

**Or.:** AV, AC, Proc.Consistoriales, ms. 28 f. 184r-215r. In f. 210v vestigium sigilli nuntii. In f. 211r textus originalis professionis fidei manu M. Eliaszewicz exaratus. In f. 215v: "1631. Samogitiensis. [Relator] Cosmas de Torres".

In nomine Domini Amen.

Praesenti publico instrumento cunctis ubique pateat evidenter et sit notum, quod anno ab eiusdem Domini Nostri Iesu Christi Nativitate milleximo [sic] sexcentesimo trigesimo primo, Indictione decima quarta, die vero septima mensis Martii, Pontificatus autem Ss.mi in Christo Patris et Domini Nostri D.ni Urbani, divina providentia Papae Octavi, anno eius octavo, coram Ill.mo et Rev.mo D.no Comite Honorato Vicecomite, Archiepiscopo Larisseno, et pro Ss.mo Domino Nostro D.no Urbano, divina providentia Papa octavo, eiusque avita Sede Apostolica, ad Ser.mum D.num Sigismundum Tertium Poloniae Sueciaeque Regem, totumque Poloniae Regnum ac Magnum Lithuaniae Ducatum cum facultatibus Legati de latere Nuncio Apostolico, meque Notario publico et Curiae causarum eiusdem Ill.mi et Rev.mi D.ni Nuncii Cancellario, comparuit Admodum Illustris et Adm. Rev.dus D.nus Melchior Heliassewicz, Parochus Crosnensis et Archidiaconus Vilmensis<sup>962</sup>, et exposuit optare se ex gratia et benignitate Praelibati Ss.mi D.ni Nostri eiusque Sanctae Sedis ad Ecclesiam Cathedralem Samogiciensem, vacantem seu vacaturam per promotionem seu translationem faciendam de Ill. mo et Rev.mo Abramo Woyna ad Episcopatum Vilmensem, ultimo et immediato illius Episcopatus Samogiciensis Possessore<sup>963</sup>, promoveri, deque illa sibi provideri; omnique qua decuit reverentia instetit *etc. ut supra, in A. 3, p. 340 [mutatis mutandis]*.

Anno, indictione, die et pontificatu, quibus supra, Ill.mus et Rev.mus D.nus Comes Honoratus Vicecomes, Archiepiscopus Larissenus, Nuncius Apostolicus, qui supra, mandavit testes infrascriptos ex officio ad se vocari, ut super interrogatoriis infrascriptis, per Dominationem Suam Ill.mam formatis, secreto per eandem Ill.mam Dominationem Suam examinari possint, praestito in manibus eiusdem Dominationis Suae Ill.mae iuramento de veritate dicenda in forma communi. [*Sequuntur interrogatoria super nominando et super statu dioecesis Samogitiensis, secundum formam, ut in A. 3 p. 341-342*].

Nomina testium.

Adm. Rev.dus D.nus Bartholomeus Cresegnski, Canonicus Dioecesis Vilmensis, Parochus Caunensis<sup>964</sup>; Perillustris et Adm. Rev.dus D.nus Marcianus Tryzna, Praepositus Infulatus Geranonensis, Referendarius et supremus Notarius Sacrae Regiae Maiestatis per Magnum Ducatum Lithuaniae<sup>965</sup>; Rev. dus D.nus Matthaes Kobiliński, Canonicus Samogi-

<sup>962</sup> Melchior Eliaszewicz-Gejsz, cfr. N. 189.

<sup>963</sup> Abrahamus Wojna († 1649), ab a. 1611 suffraganeus Vilmensis, ab a. 1627 epus Samogitiae, ab a. 1631 epus Vilmensis.

<sup>964</sup> Bartholomaeus Cieszyński, parochus Caunensis (1629), deinde canonicus Vilmensis.

<sup>965</sup> Marcianus Tryzna († 1643), notarius magnus Lithuaniae a. 1628-1641, referendarius in spiritualibus Lithuaniae a. 1631-1641, ab a. 1635 coadiutor episcopatus Vilmensis, ab a. 1640 vicecancellarius Magni Ducatus Lithuaniae.

ciae<sup>966</sup>; Rev.dus D.nus Andreas Burczak, Canonicus Mednicensis<sup>967</sup>; Adm. Rev.dus D.nus Nicolaus Ponetius, Archidiaconus Samogitiae<sup>968</sup>; Ill.mus et Excell.mus D.nus Albertus Stanislaus Radivillius, Dux Olicae, Cancellarius Magni Ducatus Lithuaniae<sup>969</sup>; Ill.mus D.nus Hieronimus Welkowitz, Generalis Capitaneus Samogiciensis<sup>970</sup>.

Die septima mensis Martii eiusdem anni, pro Illustri et Adm. Rev.do D.no Melchiorre Heliagieiciz contra quoscunque, examinatus fuit Varsaviae in palatio Ill.mi et Rev.mi D.ni Comitit Honorati Vicecomitit, Archiepiscopi Larissenit et in hoc amplissimo Polonie Regno cum facultatibus Legati de latere Nuncii Apostolici et per ipsummet Ill.mum D.num Nuncium Adm. Rev.dus D.nus **Bartholomeus Cresziinski**, Canonicus Dioecesis Vilmensis, Parochus Kaunensis, aetatis suae annorum 57, testis ab eodem Ill.mo D.no Nuncio Apostolico ex officio vocatus, cui delato [187r] iuramento veritatis dicendae, prout, tactis scripturis, ad Sancta Dei Evangelia in manibus eiusdem Ill.mi Nuncii iuravit, dixit et deposuit prout infra, videlicet:

Iuxta primum respondit: Optime novi Adm. Rev.dum D.num Melchiorrem Heliagieiciz ab annis fere triginta, occasione quia ego annorum circiter decem et octo studui Vilnae, ubi ipse morabatur, et vidi illum se exercentem in tribunalitiis negociis ecclesiasticis, et vidi etiam Iudicem Ecclesiasticum in composito Iudicio Vilmensi. Non sum illi consanguineus, cognatus, neque affinis. Habeo cum illo strictam amicitiam ob ipsius virtutes; et quia est pius vir, propterea non sum illi aemulus, neque odiosus.

Iuxta 2 respondit: Idem D.nus Melchior natus est in Samogicia, non procul a Rosienie<sup>971</sup>, ubi Pater illius habebat bona patrimonialia; et ita credo, quia audivi a multis, quod in eo loco parentes eius morabantur.

Iuxta 3 respondit: Idem D.nus Melchior natus est ex legitimo matrimonio, ex honestis atque catholicis parentibus; et hoc asserere possum, quia illius parentes fuerunt communiter reputati pro legitimis viro et uxore, et idem Melchior pro eorum legitimo filio atque isti pro honestis et catholicis reputati fuerunt; quamvis eosdem parentes non cognoverim, tamen pro talibus fuisse habitos a pluribus audivi et etiam pro vero credo, quia fratres et sorores dicti Melchiorris, quos cognovi, sunt honesti et catholici, et in Samogicia praesenter nullus est haeticus.

Iuxta 4 respondit: [187v] Puto eundem D.num Melchiorrem excessisse quinquagesimum annum, quia nosco illum iam fere a triginta annis, et fere iam canus est, et ex aspectu ostendit talem aetatem.

<sup>966</sup>Matthaeus Kobyliński.

<sup>967</sup>Andreas Burczak.

<sup>968</sup>Persona ignota.

<sup>969</sup>Albertus Stanislaus Radziwiłł.

<sup>970</sup>Hieronimus Wołowicz († 1641), capitaneus Samogitiae generalis ab a. 1641.

<sup>971</sup>Oppidum in Samogitia.

Iuxta 5 respondit: Idem D.nus Melchior dixit fere a triginta annis se esse sacerdotem et ego vidi illum saepissime et fere quotidie celebrantem Sacra iam per multos annos. Et novi illum Parochum Crosensem in Samogitia et Administratorem Episcopatus Samogiciensis, deinde Canonicum, postea Custodem et ad extremum Archidiaconum Vilnensem. Parrochiam habuit iam fere sunt triginta anni, et a quindecim annis citra habuit Canonicatum et deinde alias Dignitates.

Iuxta 6 respondit: Vidi saepius eundem D.num Melchiorrem in sua parrochia Crosensi concionantem, per dies integros confessiones audientem et reliquas ecclesiasticas functiones sedulo et diligenter exercentem atque summo zelo in haereticorum conversionem se gerentem.

Iuxta 7 respondit: Idem sancte et perfecte semper vixit et huc usque catholicus et in fidei puritate permansit, et hoc scio ex conversatione, quam cum ipso a multis annis habui; immo in ipso multa pia opera admiratus sum. Et ab aliis etiam pro tali reputatur.

Iuxta 8 respondit: Puto eundem D.num Melchiorrem optimum in vitae innocentia, [188r] bonis moribus; et esse optimae conversationis et famae et in virtutibus excellere, et praesertim caritatis. Et talem favorem habet apud omnes. Et ego etiam novi ex conversatione iam dicta.

Iuxta nonum respondit: Omnia ista requisita habet idem D.nus Melchior. Est vir gravis, prudens et usu rerum praestans. Et ita existimo, quia a multis annis eum bene novi nullamque in eo levitatem vidi; omniaque suprascripta munera publica cum laude substinuit, et fuit etiam Referendarius Magni Ducatus Lithuaniae. Et pro tali etiam ab aliis habetur et reputatur.

Iuxta X respondit: Non puto eundem D.num Melchiorrem graduatum in Sacra Theologia vel Iure Canonico, sufficientem [sic] tamen doctum scio et in omnibus studiis sufficienter versatum et necessaria pollere doctrina, quae in Episcopo requiritur, ut possit alios docere; atque ita scio et credo ex colloquiis, quae cum ipso habui, ex scripturis ipsius a me visis, et quia audivi concionantem et cum haereticis disputantem.

Iuxta XI respondit: Iam dixi eundem D.num Melchiorrem fuisse Parrochum Crosensem, administrasse Episcopatum Samogiciae atque habuisse Canonicatum, Custodiam et modo esse Archidiaconum Vilnensem, in quibus omnibus optime semper se gessit, tam quoad doctrinam, quam prudentiam, integritatem et mores. Et ipse Crosae induxit Patres Societatis Iesu in adiumentum curae animarum. Et haec omnia scio ex conversatione iam dicta, et omnes [188v] idem possunt testari.

Iuxta X2 [sic] respondit: Puto eundem D.num Melchiorrem nullum publicum scandalum dedisse circa fidem, mores sive doctrinam. Fuit alias a quibusdam haereticis, a quibus bona ecclesiastica recuperaverat, homicidii duorum hominum accusatus coram Sacra Regia Maiestate. Coram qua ostendit innocentiam suam, quia apparuit illos, tamquam praedatores,

fuisse a rusticis conspiratione facta occisos. Et quoque suo iuramento obtulit se paratum expurgare. Sed nescio, an praestiterit. Et ex conversatione, quam cum ipso habui, possum dicere, quod ob religionem Catholicam potius mortem appeteret; nulloque scio laborare corporis vel animi vitio, vel aliove canonico impedimento teneri, quominus possit ad Ecclesiam Cathedralis promoveri; et si aliquo tali vitio vel impedimento teneretur, facile scirem ex conversatione, quam cum ipso habui.

Iuxta X3 respondit: Existimo eundem D.num Melchiorrem idoneum ad bene regendam Ecclesiam Cathedralis et praesertim Samogiciensem; dignum, qui ad illam promoveatur, illiusque promotionem futuram utilem Ecclesiae Samogiciensi; et ita existimo ex scientia, prudentia et bonis [189r] moribus, quae in illo cognovi, et etiam ex fama publica, quia cum ego fuerim missus a Ser.mo Rege ad Capitulum Samogiciense pro electione ab ipso Capitulo facienda de eodem D.no Melchiorre in Episcopatum Samogiciensem, <sup>(a)</sup>-audiui, quod omnes, et Ecclesiastici et Saeculares, congaudebant<sup>(a)</sup>, quod essent habituri eum in Pastorem.

Deinde fuit deventum ad interrogatoria super statu Ecclesiae Samogiciensis.

Iuxta primum respondit: Civitas Medniki sive Wornia est in Provincia Samogitiae et est in plano, et Ecclesia Cathedralis tamen est in colle. Non est multum grandis. Sunt domus ducentae circiter, omnes lignae; et erunt habitatores supra mille; et omnes sunt catholici et omnes sunt subditi Episcopi, Civitas enim ista est de mensa Episcopali. Et haec scio, quia ter fui in eadem Civitate.

Iuxta 2 respondit: Ecclesia Cathedralis est sub invocatione Apostolorum Petri et Pauli, lignea, intus bene ornata; fere sex annis illam non vidi; indigebat tamen aliqua reparatione, quia aedificia lignea saepius indigent. Et illa Ecclesia est vetusta.

Iuxta 3 respondit: Dicta Ecclesia subiacet Archiepiscopo Gnesnensi. Et scio, quia Episcopi pro tempore mittunt et miserunt ad Synodum Provinciale, sub dicto Archiepiscopo celebratam.

Iuxta 4 respondit: In eadem Ecclesia Cathedrali Samogiciensi est Praepositura, quae est prima [189v] dignitas post pontificalem, et Archidiaconatus, et sex Canonici. Sunt Vicarii et Mansionarii, quorum numerum, praesertim nunc, non possum scire. Habent Canonici et alii sufficientes annuos redditus, sed praecisam quantitatem ignoro. Non est Praebenda Theologalis neque Poenitentiarum, sed manent ibi duo Patres Iesuitae, quorum alter concionatur, alter legit casus conscientiae; qui sustentantur ex redditibus cuiusdam altaris. Illos patres ibi alias vidi, et audiui legentem casus conscientiae; an vero modo adsint, certo dicere non possum. Et haec scio, quia in dicta Civitate alias fui.

Iuxta 5 respondit: Nihil scire, sed tamen existimare, quod ibi sit fons baptismalis.

Iuxta 6 respondit: Eadem Ecclesia habet Sacrarium sufficienter instructum sacra superlectili et ceteris rebus ad divinum cultum spectantibus et necessariis<sup>b)</sup> ad pontificalia exercenda; habet et chorum, organum, campanile cum campanis et coemiterium. Et haec scio, quia ibi fui, in eadem Ecclesia celebravi et praedicta vidi.

Iuxta 7 respondit: Non recordor, an in eadem Ecclesia sint reliquiae sanctorum.

Iuxta 8 respondit: Est in eadem Civitate habitatio pro Episcopo lignea, sed in illa non fui; est contigua Ecclesiae, non dubito indigere reparatione; quod a longe vidi aedificium esse vetustum.

Iuxta nonum respondit: [190r] Antequam vastarentur bona illius Provinciae Samogiciensis a militibus, dum esset bellum cum Gustavo<sup>972</sup>, et a peste, dicebantur redditus Episcopatus octo millium florenorum annuorum, sed nunc vix credo ascendere ad quinque millia florenorum<sup>973</sup>. Qui fructus proveniunt ex praediis et censibus, scio enim, quod multa praedia possidet dictus Episcopatus.

Iuxta X respondit: Nihil scire, nec sunt ibi monasteria monialium, nec virorum. Et in reliquis nihil scire.

Iuxta XI respondit: Dioecesis Samogiciensis se protendit fere per triginta leucas Polonicales, habet quinquaginta Parrochias et fortasse plures. Et hoc scio, quia transivi per totam Samogiciam.

Iuxta X2 respondit: Non puto adesse Seminarium in dicta Civitate Worniae, sed Vilnae adest Seminarium, quod meo tempore, dum ibi studebam, dicebatur Samogiciense, in quo alebantur duodecim pueri ex Samogicia.

Iuxta X3 respondit: Ecclesia Samogiciensis vacare debet per translationem Rev.mi Adami [sic] Voynie<sup>974</sup>, Episcopi praesentis, ad Ecclesiam Vilynensem.

Ego, Bartholomeus Czeszyński, Cancellarius Dioecesis Vilynensis, Parochus Caunensis, deposui ut supra et in fidem me subscribo manu propria.

Pro eodem contra eosdem eisdem anno, indictione, pontificatu quibus supra, die vero octava mensis Martii, examinatus fuit per quem supra, ubi supra, Perillustris et Adm. Rev.dus **Martianus Tryzna**, Referendarius et Supremus Notarius Sacrae Regiae Maiestatis per Magnum Ducatum Li-

<sup>972</sup> Agitur de bello cum Gustavo Adolfo a. 1621-1629 gesto.

<sup>973</sup> A. 1609 "valor annuus fructuum mensae episcopalis [erat] 4000 florenorum, si bona a militibus non devastentur", a. autem 1618 tantum 2000 florenorum. Cfr. Gauchat HCIV, p. 304.

<sup>974</sup> Abrahamus Wojna, cfr. supra notam 964.

thuaniae, aetatis suae anno [190v] trigessimoseptimo, testis ex officio vocatus, qui *etc.* [ut in depositione primi testis] deposuit, prout infra, videlicet:

Iuxta primum respondit: Ego novi D. num Melchiorrem Eliagieicz a duodecim annis citra, occasione quod obtinui a Sacra Regia Maiestate Canonicatum Vilnensem, in qua Ecclesia dictus Melchior iam a pluribus annis erat capitularis persona. Et ultimo fuit Custos, modo vero est Archidiaconus. Et non sum illi affinis, consanguineus, cognatus neque nimis familiaris, neque aemulus, neque odiosus.

Iuxta 2 respondit: Scio dictum Melchiorrem natum esse in Samogicia, in bonis paternis; in quo autem loco praeciso, ignoro; idque scio, quia a pluribus annis audivi et quia plerumque nobiliores solent inhabitare in eorum propriis bonis.

Iuxta 3 respondit: Ego non cognosco neque patrem neque matrem dicti Melchioris, scio autem ortum esse a parentibus nobilioribus et honestis, et ab omnibus communiter reputabatur et habebatur pro eorum legitimo filio; uterque erat Catholicus [sic], quia in Samogicia fere nullus adest haereticus. Et etiam audivi pluries, quod parentes ipsius erant Catholici.

Iuxta 4 respondit: Dictus D. nus Melchior habet quinquaginta et octo annos, et hoc scio, quia est sacerdos fere a 40 annis, prout ex eius aspectu apparet; et est in Capitulo Vilnensi a viginti annis; et antea [191r] Parochus erat loci, nominis non recordor.

Iuxta 5 respondit: Ut supra dixi esse sacerdotem fere a 40 annis et ego saepius audivi Sacrum illius, a duodecim annis quod sum Canonicus Vilnensis.

Iuxta 6 respondit: Ut dixi, in ecclesiasticis functionibus et in exercitio ordinum est diu diversatus dictus D. nus Melchior, solet enim munus suum in Ecclesia Cathedrali exercere cum summa sollicitudine et pietate, et solet etiam quolibet die celebrare, et est devotus. Et hoc scio propter conversationem, quam cum ipso habui et habeo, et quod sum Canonicus in eadem Ecclesia Vilnensi.

Iuxta 7 respondit: Scio, quod dictus D. nus Melchior semper catholice vixit et in fidei puritate permansit, quia vidi illum frequentantem pias Catholicorum functiones; et hoc est notorium.

Iuxta 8 respondit: Dictus D. nus Melchior semper fuit praeditus innocentia vitae, bonis moribus, bonaque conversationis et famae; nec unquam quicquam in contrarium audivi, et si aliquid in contrarium commisset, facile scivissem, quia est persona publica et ego quoque commoror in eadem Civitate.

Iuxta 9 respondit: Scio, quod dictus Melchior est vir gravis, prudens et usu rerum praestans; et expertus sum ex negociis, quae tractavit. Fuit etiam aliquando Secretarius Sacrae Regiae Maiestatis, Referendarius Magni Ducatus Lithuaniae et per septennium Administrator Episcopatus Sa-

mogiciensis. Talem approbaverunt ipsum omnes. Et haec omnia exercuit [191v] cum summa laude et prudentia; et hoc est notorium apud omnes.

Iuxta decimum respondit: Credo, quod dictus Melchior nullum gradum habet, neque in Iure Canonico neque in Sacra Theologia; et credo, quod habet sufficientem doctrinam, quae in Episcopo desideratur ad hoc, ut possit alios docere. Haec scio ex officiis per ipsum peractis, in quibus requiritur Ius Canonicum et Theologia.

Iuxta XI respondit: Dictus D.nus Melchior habuit et ad praesens habet<sup>o</sup> curam animarum, in qua semper laudabiliter exercuit se et exercet; et optime etiam in administrando per septennium Episcopatum Samogiciensem, tam quoad prudentiam, quam quoad integritatem et mores. Idque scio, quia est notorium, ego quoque, cum essem Vilnae, vidi et audivi a quam plurimis.

Iuxta X2 respondit: Dictus D.nus Melchior nunquam audivi, quod dedit aliquod publicum scandalum circa fidem, mores et doctrinam; et non est dubium, quod si dedisset, facile scivissem, quia est persona publica. Neque scio aliquo corporis vel animi vitio, aliove impedimento canonico, teneri, quominus ad Ecclesiam Cathedralem promoveatur; et, ut dixi, facile potuissem scire, si haberet aliquod impedimentum, ex causis supradictis.

Iuxta X3 respondit: Puto dictum D.num Melchiorrem idoneum esse ad bene regendam [192r] Ecclesiam Cathedralem Samogiciensem, dignumque ut ad illam promoveatur, illiusque promotionem esse utilem et proficuum eidem Ecclesiae Samogiciensi, quia in aliis functionibus ecclesiasticis et publicis bene omnia [et] laudabiliter gessit atque etiam multa bona ecclesiastica, ab aliis occupata, sua industria et propriis sumptibus recuperavit. Et hoc scio, quia haec sunt notoria et quia ego fui iudex in istis causis recuperationis, sum enim unus iudex ex Iudicibus Assessorialibus Sacrae Regiae Maiestatis.

Super statu Ecclesiae Cathedralis Samogiciensis non fuit interrogatus, quia dixit nunquam ad illam fuisse.

Marcianus Tryzna, Praepositus Infulatus Geranonensis, Referendarius et Supremus Notarius Regiae Maiestatis per Magnum Ducatum Lithuaniae, ita deposui et in fidem proprium nomen subscribo manu propria.

Eisdem anno, indictione, pontificatu, quibus supra, die vero nona eiusdem mensis Martii, pro eodem contra quoscumque, examinatus fuit ubi supra, per quem supra, Adm. Rev.dus D.nus **Mattheus Kobiliński**, Canonicus Samogiciae, aetatis suae annorum 62, testis ex officio vocatus, qui *etc. [ut in depositione primi testis]*, dixit et deposuit, prout infra, videlicet:

Iuxta primum respondit: Ego cognosco Adm. Rev.dum D.num Melchiorrem Eliagieicz usque a pueritia; fuimus enim socii et aemuli in eadem Schola apud Patres Societatis Iesu Accademiae Vlnensis et deinde cogni-

tio continuata est usque ad tempus praesens. Sumus amici, sed non sumus [192v] nimis familiares, neque sum illi aemulus, neque odiosus.

Iuxta 2 respondit: Idem D.nus Melchior natus est in curia paterna nuncupata Shrisce<sup>975</sup> in Dioecesi Samogiciensi, in parrochia Rosinensi; idque scio, quia fui aliquoties in eadem curia, et in ea parentes eius inhabitabant, ut communiter audivi.

Iuxta 3 respondit: Idem D.nus Melchior natus est de legitimo matrimonio et ex parentibus honestis et catholicis. Eius quidem parentes non novi, sed novi eiusdem D.ni Melchiorris fratres et sorores. Et eorum familia est nobilis in hoc Regno et in Dioecesi Samogiciae, neque hic est familia nobilis, nisi nascatur ex nobilibus. Et praemissa scio, quia idem D.nus Melchior communiter ab omnibus reputatur natus ex legitimo matrimonio et catholicis parentibus, nec ullus est qui contradicat.

Iuxta 4 respondit: Puto eundem D.num Melchiorrem agere sexagesimum annum vitae; et ita puto, quia mecum studuit, mecum caluit.

Iuxta 5 respondit: Idem D.nus Melchior est actu Sacerdos iam a triginta annis circiter; et hoc scio, quia in primo Sacrificio per ipsum celebrato ego fui concionatus et interfui, et deinde postea eundem saepissime celebrantem vidi.

Iuxta 6 respondit: Idem D.nus Melchior statim factus Sacerdos, iam ultra triginta anni sunt, fuit factus Parrochus Crosensis; in qua Parrochia, ut ego vidi, assidue sacra faciebat et confessiones audiebat et concionabatur; et ita etiam ab aliis audivi ac propterea dico esse virum pium et devotum.

Iuxta 7 respondit: Idem D.nus Melchior nunquam fuit suspectus, quin catholice [193r] vixerit et in fidei puritate permanserit; et hoc scio, ipsum scilicet semper catholice vixisse et in fidei puritate permansisse, ex conversatione cum ipso habita et quia semper permansimus in eadem Dioecesi, vidique illum semper catholice viventem.

Iuxta octavum respondit: Idem D.nus Melchior est vir bonae conversationis et famae, vitae innocentia et morum probitate praeditus; idque scio ex causa conversationis iam dictae, vidi enim virum pium, religiosum ac super bona Ecclesiae et animarum salutem zelantem, et multa pro Ecclesia ab haereticis occupata recuperavit.

Iuxta nonum respondit: Idem D.nus Melchior fuit semper apud nos ab omnibus reputatus vir gravis, prudens et usu rerum praestans et in negociis peragendis magnanimus et generosus; idque scio ex conversatione iam dicta. Et fuit multoties Iudex in Tribunalitiis Iudiciis, in quibus semper optime, laudabiliter se gessit.

Iuxta X respondit: Idem D.nus Melchior non est Doctor neque Licentiaus in Iure Canonico, neque in Sacra Theologia, tamen est vir doctus in

---

<sup>975</sup> Statuere non potui, de quibus bonis hic sermo sit.

cognitione et disciplina rerum ecclesiasticarum et curam animarum concernentibus, et ea doctrina pollet, quae in Episcopo desideratur ad alios docendos. Audivi enim eum saepissime concionantem docte et erudite, quatenus partes nostrae paciuntur. Et quando fuimus insimul in studiis, ipse diligenter incumbebat et multum proficiebat.

Iuxta XI respondit: Idem D.nus Melchior, ut [193v] dixi, fuit Parochus Crosensis, fuit Administrator fere per quinque annos Episcopatus Samogiciensis et fuit et est Archidiaconus Vilmensis, et fuit usque adhuc Referendarius Sacrae Regiae Maiestatis pro Ducatu Lithuaniae. In quibus omnibus muneribus cum doctrina et prudentia et integritate et bonis moribus satisfecit. Quae scio, quia sic communiter omnes dicunt et quia ab Episcopo Vilmensi paemortuo<sup>976</sup> optimum testimonium de illo habui, et quia dum administravit Episcopatum praedictum, eram Decanus Ruralis in Dioecesi Samogiciensi et etiam Parochus.

Iuxta X2 respondit: Non scio eundem D.num Melchiorrem dedisse aliquid scandalum circa mores, fidem, sive doctrinam; et si dedisset, scivissem, quia versatus sum in eadem Dioecesi Samogiciensi et etiam saepissime fui Vilnae, ubi per sexdecim annos fui Iudex Tribunalitius In quibus locis idem Melchior moratus est, et cum ille esset publica persona, publicum scandalum latere non potuisset.

Iuxta X3 respondit: Existimo eundem D.num Melchiorrem idoneum ad bene regendam Ecclesiam Cathedrali et praesertim Samogiciensem, dignum qui ad illam promoveatur, ipsiusque promotionem proficuum futuram eidem Ecclesiae; immo puto nullum alium ad ipsam Ecclesiam meliorem eligi potuisse; et ita existimo ex illius doctrina, ex bonis moribus et ex zelo, quem habet in augendis seu conservandis iuribus Ecclesiae, et ex eo, quod haeretici illum metuunt. Quae omnia scio ex conversatione et causis praedictis.

[194r] Deinde fuit deventum ad interrogatoria super statu Ecclesiae.

Iuxta primum respondit: Civitas Wornia sita est in Ducatu Samogiciensi, est parva, constat domibus centum quinquaginta circiter, tota lignea; numerum populi non novi, possunt esse quadringenti circiter, et subiacet etiam in temporalibus eidem Episcopo Samogiciensi. Haec scio, quia sum Canonicus in Cathedrali Samogiciensi et in eadem Dioecesi Parochus et Decanus Ruralis, ut iam dixi.

Iuxta secundum respondit: In dicta Civitate, id est extra illam, sed prope, est Ecclesia Cathedralis sub invocatione Sanctorum Petri et Pauli, lignea, pulcherrima et bene restaurata, nec indiget aliqua reparatione. Et scio ex causa iam dicta.

---

<sup>976</sup> Stanislaus Kiszka (1584-1626), ab a. 1619 epus Samogitiae.

Iuxta 3 respondit: Ista Ecclesia est Episcopalis, subiecta Archiepiscopo Gnesnensi; et hoc scio, quia in Synodis Provincialibus Episcopus et Cleverus Samogiciensis ad eundem Archiepiscopum venit. Et scio ex causa praedicta.

Iuxta 4 respondit: In eadem Ecclesia ex antiquo est dignitas Archidiaconatus, modo sunt erectae duae dignitates; altera Suffraganeatus per Ill. mum et Rev. mum Stanislaum Chiska, olim Episcopum Samogiciensem<sup>977</sup>, altera Praepositura, erecta per modernum Suffraganeum Samogiciensem, Ioannem Vizomierski<sup>978</sup>. Sunt sex Canonici, sex Vicarii. Suffraganeus est prima dignitas post pontificalem. Suffraganeatus habebit annuos florenos mille circiter. Archidiaconatus tercentos; de Praepositura nescio, quia adhuc fundator illam obtinet, sed habet censum ex octo millibus florenorum in sortem; primi duo [194v] Canonicatus habent circiter florenorum trecentum in singulis, alii duo ducentum quinquaginta, reliqui duo centum quinquaginta (qui redditus sunt in numerata pecunia), quilibet vero Vicariorum centum florenos circiter. Et scio ex causa praedicta.

Iuxta quintum respondit: In eadem Ecclesia Cathedrali non est cura animarum, sed est in alia Ecclesia Parochiali sub titulo Sancti Alexandri. Fons baptismalis est in utraque Ecclesia. Solent enim plerumque actus parochiales in Ecclesia Cathedrali fieri per Parrochum. Et scio ex causa praedicta.

Iuxta sextum<sup>d)</sup> respondit: In eadem Ecclesia Cathedrali est Sacrarium sufficienter instructum sacra superlectili caeterisque ad divinum cultum et pontificalia necessariis, Choro, Organo, Campanili cum campanis et Coemiterio bene saepto. Scio ex causa praedicta.

Iuxta septimum respondit: Vidi super Altare Cathedralis Ecclesiae reliquias Sanctorum argento inclusas, sed non observavi cuius Sancti, sunt frustula ossium.

Iuxta 8 respondit: Ad eandem Ecclesiam Cathedralem est Domus pro Episcopo, lignea, parum ab Ecclesia distans, ad quam itur per pontem<sup>e)</sup> super stagno. Fuit restaurata a praedefuncto Episcopo<sup>979</sup>. Et scio ex causa iam dicta.

Iuxta nonum respondit: Scio redditus Episcopatus Samogiciensis annuos fuisse sex millium florenorum, sed hodie propter plagas istas belli, pestis et famis puto vix ascendere ad quinque millia florenorum. Scio ex causa praedicta.

Iuxta X respondit: In [195r] eadem Ecclesia Cathedralis Samogiciensis [sic] non est nisi una Parrocchialis, ut dixi, non sunt aliae Collegiatae, non sunt Monasteria religiosorum neque monialium; est una Confraternitas Beatae Virginis in Cathedrali; est quoque Hospitale; non est Mons

<sup>977</sup> Cfr. notam supra.

<sup>978</sup> Ioannes Wyszemirski, suffraganeus Samogitiae (1628).

<sup>979</sup> Stanislaus Kiszka.

Pietatis. Manent semper duo Patres Iesuitae, quorum alter concionatur, alter est poenitentiarius; qui habent annuos florenos quatingentos pro utroque, et dantur ei[s] a Capitulo ex fundatione praemortui Episcopi iam dicti. Et haec scio ex causa praemissa.

Iuxta XI respondit: Dioecesis Samogiciensis protenditur per triginta miliaria Polonica circiter. Antea habuit quinquaginta Parrochias circiter, modo potest habere ad septuaginta. Multae sunt fundatae de novo et aliae fuerunt recuperatae ab haereticis. Causa scientiae praedicta.

Iuxta X2 respondit: Est penes Ecclesiam Cathedralem Seminarium, in quo sex vel octo pueri aluntur, et habet suos redditus certos, habet enim circa decem millia florenorum ad annum censum inserta. Scio ex causa praedicta.

Iuxta X3 respondit: Ecclesia Samogiciensis non vacat, sed vacabit, si modernus Episcopus transferetur ad Episcopatum Vilnensem<sup>980</sup>. Et hoc est notorium.

Ego, Mattheus Kobyliński, Canonicus Samogiciae, deposui ut supra et in fidem subscribo manu propria.

Eisdem anno, indictione, pontificatu quibus supra, die vero undecima mensis Martii, pro eodem contra quoscumque, examinatus fuit ubi supra, per quem supra [195v]. Ad. m. Rev. dus D. nus **Andreas Burczak**, Canonicus Mednicensis, aetatis suae annorum 39, testis ex officio vocatus, cui *etc.* [*ut in depositione primi testis*], deposuit, prout infra, videlicet:

Iuxta primum respondit: Ego cognosco Rev. dum D. num Melchiorrem Eliagięicz iam sunt quindecim anni circiter, et cognosco, quia dum studui, moratus sum Vilnae et ibi illum agnovi Canonicum Vlnensem et Archidiaconum et Iudicem Tribunalitium Ducatus Lithuaniae. Non sum illi consanguineus, nec affinis, nec cognatus, neque illius familiaris, neque aemulus, neque odiosus.

Iuxta secundum respondit: Nescio locum particularem, in quo natus est idem Rev. dus D. nus Melchior, sed natus est in Samogicia. Cognosco eius fratres et sorores, qui in Ducatu Samogiciae morantur. Et scio, quia iidem fratres et sorores ipsius habent in Samogicia bona paterna et emp- ta, et una soror nupta est cum viro Samogiciensi. Et haec scio, quia sunt decem anni circiter, quod ego sum Canonicus Samogiciensis.

Iuxta 3 respondit: Idem D. nus Melchior est natus ex matrimonio legitimo atque ex honestis et catholicis parentibus. Et scio, quia talis est fama de ipso et de eius parentibus et audivi ab iis, qui notitiam habent de familia ac de<sup>d</sup> parentibus ipsius Rev. di D. ni Melchiorris.

Iuxta 4 respondit: Idem D. nus Melchior est aetatis annorum 60 circiter; quod scio, quia [196r] ex aspectu talem aetatem ostendit et quia ab

<sup>980</sup> Cfr. supra notam 964.

aliis, qui cum ipso versati sunt et cum illo creverunt, talem habere aetatem audivi.

Iuxta 5 respondit: Idem D.nus Melchior est sacerdos ab annis iam triginta; et scio, quia audivi ab illis, qui cum illo ordines acceperunt.

Iuxta 6 respondit: Ego vidi eundem D.num Melchiorrem saepius celebrantem et cantantem missam, tam Vilnae quam in Cathedrali Samogiciensi, et quidem frequenter et devote, et audivi, quod ipse saepius concionatus est, maxime in Parrocchia sua Crosensi in Samogicia.

Iuxta 7 respondit: A quo tempore ego cognosco eundem D.num Melchiorrem, vidi eum semper catholice vixisse et in fidei puritate permanisse; et ab aliis audivi, quod etiam antea talis fuit. Vidi eum sacerdotem celebrantem catholico more in Catholicis Ecclesiis.

Iuxta 8 respondit: Fama est, quod idem D.nus Melchior sit vir probus, modestus, bonis moribus praeditus et bonae conversationis et famae; et nihil circa haec unquam in contrarium audivi, et si aliquid in contrarium fuisset, facile audivissem ob vicinitatem suae Ecclesiae Parrochialis ad Cathedrali Samogiciensem et propter cognitionem, quam de ipso habui Vilnae.

Iuxta nonum respondit: Idem D.nus Melchior est vir gravis et usu rerum praestans; quod scio, quia factus Archidiaconus Vilmensis, quae dignitas non datur nisi viris prudentibus, et quia per quinque annos fuit Administrator Episcopatus Samogiciensis, antequam ibi essem Canonicus, fuit et est [196v] Magni Ducatus Lithuaniae, et fuit per plures annos Iudex Tribunalitius eiusdem Ducatus. Et in his omnibus audivi a pluribus, quod optime et laudabiliter se gessit.

Iuxta X respondit: Nescio, an sit Doctor vel Licentiatus in Sacra Theologia vel Iure Canonico, est tamen vir doctus in Iure Civili nostri huius Regni et in Iure Canonico propter proximam habitam in administratione Episcopatus et in Iudicio Tribunalitio et in visitatione Dioecesis Vilmensis tanquam Archidiaconus et in regimine suae Parrochiae; et habet eam scientiam, quae in Episcopo, requiritur, ut possit alios docere. Ita credo, quia dum Episcopatum Samogiciensem administravit, episcopalia munera etiam in docendo exercuit, et in sua Parrocchia saepius est concionatus et, ut vidi, docte.

Iuxta XI respondit: Iam dixi, quod fuit idem Rev.dus D.nus Melchior et est Parochus Crosensis, administravit Episcopatum Samogiciensem per quinque vel sex annos, item fuit et est Archidiaconus Vilmensis. In quibus omnibus muneribus obeundis laudabiliter se gessit in doctrina, prudentia et moribus. Et scio, quia ita a pluribus, qui illum viderant et audiverant, talia de ipso audivi.

Iuxta X2 respondit: Nescio nec audivi eundem D.num Melchiorrem dedisse aliquando publicum scandalum circa fidem, mores, sive doctrinam; et si dedisset, facile ego scivissem, tum ex vicinitate loci, tum ex conversa-

tione, quam ego cum ipso et aliis, qui ipsum bene norunt, tam [197r] in Samogicia quam Vilnae, habui. Quod vero ad corporis vel animi vitium aut aliud canonicum impedimentum, nescio an patiatur, propter quod ad Ecclesiam Cathedralem promoveri non possit; si haberet, facile scivissem ex causis ut supra expositis.

Iuxta X3 respondit: Existimo eudem Rev.dum Melchiorrem idoneum ad regendam Cathedralem Ecclesiam, et praesertim Samogiciensem; dignum qui ad illam promoveatur, illiusque promotionem futuram utilem et proficuum eidem Ecclesiae Samogicensi. Et ita existimo, quia iam laudabiliter se gessit in administratione eiusdem Episcopatus, dum non erat Episcopus, ergo multo magis idem faciet Episcopus; et quia diligens est in custodiendis iuribus Ecclesiae, recuperavit enim de manibus haereticorum plura bona ad suam Ecclesiam Parochialem Crosensem pertinentia, prout ita est publica vox et fama, ut audivi ab antiquioribus Samogicensibus, a quorum Cathedrali ista Parrochia quattuor milliariibus distat.

Deinde fuit deventum super interrogatoriis super statu Ecclesiae Cathedralis Samogicensis.

Iuxta primum: Civitas, in qua residet Episcopus Samogicensis, dicitur Mednik sive Wornia. Pars enim, in qua est Ecclesia Cathedralis et residentia Episcopi et Canonicorum, divisa ab altera parte per quendam fluvium, Wornia dictum, appellatur Mednik, unde Episcopus dicitur Mednicensis, et altera pars Wornia appellatur. Et ista Civitas etiam in temporalibus est de Mensa Episcopi; omnes habitatores sunt catholici et [197v] erunt ad numerum circiter quatringsenti.

Iuxta 2 respondit: Ecclesia Cathedralis eiusdem Civitatis est sub invocatione Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, tota lignea, bene constructa, magna, et sunt in ea quinque altaria; neque indiget reparatione, quia reparavit praedefunctus Episcopus Stanislaus Ghisa<sup>981</sup>. Et scio, quia sum ibi Canonicus iam a decem annis et, quando fuit facta reparatio, eram Praepositus Falnicensis.

Iuxta 3 respondit: Ecclesia Samogicensis est subiecta Archiepiscopo Gnesnensi; quae scio, quia Episcopus solet mittere nuncium ad Synodum Provincialem sub Archiepiscopo Gnesnensi, sicut bis me existentem Canonicum iam misit.

Iuxta 4 respondit: Praesentes sunt in Ecclesia Samogicensi tres dignitates: Archidiaconatus, Suffraganeatus et Praepositura, sex Canonici<sup>9</sup> et Vicarii. Et modo maior dignitas post pontificalem est Suffraganeatus, quia est Episcopus. Et Suffraganeatus habet annuos florenos mille, Archidiaconatus et Praepositura circa quatuor centum, alii ex Canonicis trecentos, alii ducentos, alii centum quinquaginta; et quilibet Vicariorum habet

---

<sup>981</sup>Stanislaus Kiszka.

centum, omnes in moneta Polonicali. Sunt et duo Patres Iesuitae, quorum alter concionatur, alter est poenitentiarius; qui aluntur ex redditibus sibi constitutis de proprio patrimonio a praedicto bonae memoriae praedefuncto Episcopo Stanislao Ghiska. Et scio ex causa ut supra.

Iuxta quintum respondit: Non est in eadem Ecclesia cura [198r] animarum, sed est altera Ecclesia Parrochialis sub titulo Sancti Alexandri, sed quia Parochus est etiam Canonicus Cathedralis Ecclesiae, frequenter actus parrochiales etiam in Cathedrali exercet. Et in utraque Ecclesia est fons baptismalis. Et causa scientiae ut supra.

Iuxta 6 respondit: Dicta Ecclesia Cathedralis Samogiciensis habet Sacrarium sufficienter instructum sacra superlectili caeterisque rebus ad divinum cultum et pontificalia exercenda necessariis, Chorum, Organum, Campanile cum campanis et Coemiterium saeptum. Causa scientiae ut supra.

Iuxta 7 respondit: Sunt in eadem Ecclesia Cathedrali aliquae reliquiae diversorum Sanctorum, sed paucae, in argenteis reliquiariis servatae. Causa scientiae eadem.

Iuxta 8 respondit: In eadem Ecclesia Cathedrali est eidem adhaerens per medium pontem habitatio pro Episcopo, lignea, sufficiens et reparatione indiget, quia ruinam minatur. Causa scientiae eadem.

Iuxta nonum respondit: Proventus annui in pecunia numerata Ecclesiae Cathedralis Samogiciensis ascendunt ad sex mille [sic] florenos Polonicales. Et habet etiam fructus ex praediis, cum quibus erunt annui circiter decem mille floreni; et pecuniam numeratam habet ex censibus. Et causa scientiae eadem. Nec subiacent alicui pensioni.

Iuxta X respondit: [198v] In eadem Civitate Worniae non est, ut dixi, nisi una Parrochialis, nulla alia Ecclesia Collegiata; non sunt Monasteria religiosorum nec monialium, una Confraternitas sub titulo Beatae Mariae Virginis Nativitatis in Cathedrali; est unum Hospitale, non est Mons Pietatis. Causa scientiae praemissa.

Iuxta XI respondit: Dioecesis Samogiciensis protenditur usque ad triginta milliaria circiter; habet Parrochias octuaginta circiter; sunt aliae Civitates in eadem Dioecesi, ut Crosa, in qua sunt Patres Iesuitae, Kertinka<sup>982</sup>, ubi sunt Patres Bernardini, Telse, ubi Patres Bernardini; Olsiadi, Malscadi, Crochi<sup>983</sup>, quae tres sunt de Mensa Episcopi. Sunt et alia loca, quorum nominum non recordor. Causa scientiae iam dicta.

Iuxta X2 respondit: Dicta civitas Worniae habet Seminarium, in quo aluntur sex pueri, qui manent, ut plurimum, Crose, ubi habent communem domum; qui in diebus solemnioribus inserviunt Cathedrali Ecclesiae. Prius manebant Vilnae, sed defunctus Episcopus Stanislaus Ghiska ad se revocavit, ut praesto haberet pro servitio suae Ecclesiae. Et habet suos

<sup>982</sup> Cretinga, oppidum in districtu Telsensi.

<sup>983</sup> Olsiady, Masiady? Kroki.

redditus ex censibus decem millium florenorum Polonicalium in [.....]. In causa scientiae ut supra.

Iuxta X3 respondit: Ecclesia Samogiciensis modo non vacat, sed vacare debet per translationem moderni Episcopi ad Ecclesiam Vिल्nensem<sup>984</sup>.

Ego Andreas Burczak, Canonicus Mednicensis, deposui ut supra et in fidem [199r] subscribo manu propria.

Pro eodem contra quoscunque, eisdem anno, die, indictione et pontificatu quibuscunque, examinatus fuit ubi supra, per quem supra, Ill.mus D.nus **Hieronimus Wollowicz**, Generalis Capitaneus Samogitiae, aetatis suae annorum 70, testis ex officio vocatus, cui *etc. [ut in depositione primi testis]*, deposuit, prout infra, videlicet.

Iuxta primum respondit: Iam sunt circiter anni triginta, quando ego incoepi cognoscere Adm. Rev.dum D.num Melchiorrem Eliagieicz, et deinde cognovi, dum ego fueram Thesaurarius Magni Ducatus Lithuaniae, pro quo intercessi apud Ser.mam Maiestatem pro Canonicatu Vिल्nensi, et quando administravit Episcopatum Samogiciensem. Non sum illi consanguineus, cognatus, neque affinis; non nimis familiaris, sed communis amicus.

Iuxta 2 respondit: Natus est idem D.nus Melchior in Ducatu Samogitiae, in quodam loco prope Civitatem Rossieni, ubi habent bona paterna; et fui in eius domo paterna; et scio, quia sic audivi.

Iuxta 3 respondit: Idem D.nus Melchior est ex legitimo matrimonio, et scio, quia est publica vox et fama, et quia possident bona paterna, in quibus illegitimi non succedunt in hoc Regno, et habent munera publica, ad quae illegitimi non admittuntur. Parentes illius non novi, tamen familia ipsius communiter pro catholica reputatur et ipsius fratres catholicos novi.

Iuxta 4 respondit: [199v] Prout ex aspectu considerare possum et ex tempore, a quo coepi illum cognoscere, iam excessit dictus D.nus Melchior quinquagesimum annum.

Iuxta quintum respondit: Iam sunt plures anni, quod vidi dictum Adm. Rev.dum D.num Melchiorrem et audivi sacra celebrantem et concionantem.

Iuxta sextum respondit: Audivi eundem D.num Melchiorrem esse devotum et frequentem in functionibus ecclesiasticis. Et audivi a pluribus.

Iuxta septimum respondit: Quoad ego novi et audivi, quod idem D.nus Melchior semper catholice vixit et in fidei puritate permansit, et expertus sum zelosum defensorem ecclesiasticae libertatis.

Iuxta 8 respondit: Quoad ego scio, idem D.nus Melchior praeditus est innocentia vitae, bonis moribus et est bonae conversationis et famae. Hoc

---

<sup>984</sup> Cfr. supra notam 964.

scio, quia ipse versatus est in Samogicia prout et ego, et de ipso semper optimam famam audivi. Et haeretici illum aegre ferunt; et multa bona recuperavit Ecclesiae e manibus haeticorum et aliorum; quae omnia sunt notoria in Samogicia.

Iuxta nonum respondit: Idem D.nus Melchior est vir prudens et usu rerum praestans et doctus; non enim, nisi esset talis, potuisset bene concionari, neque administrare Episcopatum Samogiciensem per multos annos et sustinere Referendariatum Magni Ducatus Lithuaniae, in quibus [200r] omnibus se bene gessisse fama est.

Iuxta X respondit: Nescio, an sit Doctor dictus D.nus Melchior in Sacra Theologia vel Iure Canonico, est tamen vir doctus in rebus sacris et credo, quod habeat sufficientem doctrinam, ut possit tanquam Episcopus alios docere. Et credo, quia audivi illum concionantem et docte, et propter munera praemissa, quae substinuit idem D.nus Melchior. Fuit et est Parochus Crosensis, et ipse reaedificavit suam Ecclesiam Parrochiam; fuit Archidiaconus Vilmensis; in quibus muneribus, prout ego audivi, bene et [l]audabiliter se gessit, prout etiam in administratione Episcopatus Samogiciensis, tam in doctrina, quam in prudentia et omnibus.

Iuxta 12 respondit: Non mihi constat eundem D.num Melchiorrem dedisse aliquando aliquod publicum scandalum circa fidem, mores vel doctrinam; imo potius fama de ipso est in contrarium. In reliquis nescire.

Iuxta 13 respondit: Existimo eundem D.num Melchiorrem idoneum ad regendam Ecclesiam Cathedralis, et praesertim Samogiciensem, et dignum ut ad illam promoveatur; et illius promotionem futuram utilem dicte Ecclesiae. Et ita existimo, quia ipse callet linguam Samogiticam, omnino diversam a lingua Polonica, quam fere nullus Episcopus, praeter modernum, possedit; et etiam ex aliis causis prudentiae, doctrinae, defensionis Catholicae Ecclesiae [200v] contra haeticos, ut iam dixi.

Super interrogatoriis status Ecclesiae non fuit interrogatus, quia dixit testis se non esse informatum.

Ego, Hieronimus Wołowicz, Generalis Capitaneus Samogiciae, ut deposui supra. In cuius rei fidem, ita rem se habere attestor propriae manus subscriptione.

Eisdem anno, indictione, pontificatu quibus supra, die vero decima quarta mensis Martii, pro eodem contra quoscumque, examinatus fuit per quem supra, ubi supra, Adm. Rev.dus D.nus **Nicolaus Poneticus**, Archidiaconus Samogiciae, aetatis suae annorum 57, testis ex officio vocatus, cui *etc. [ut supra]*, deposuit, prout infra:

Iuxta primum respondit: Ego cognosco Adm. Rev.dum D.num Melchiorrem Eliagieicz iam ab annis quadraginta et circa, fuimus enim in pueritia in eodem Collegio seu Seminario Vilmensi Episcopali; ipse erat seminariista, ego vero in convictu illi seminario vicino; et studuimus in scholis apud

Patres Iesuitas; deinde ipse ivit Samogiciam, ego vero remansi Vilnae. Non sum illi consanguineus, neque affinis, neque cognatus, neque ulla familiaritate coniunctus, excepta frequentatione scholari; non illius aemulus, neque odiosus.

Iuxta secundum respondit: Idem D.nus Melchior natus est in Dioecesi [201r] Samogiciensi, in districtu, qui vocatur Thelse, qui est districtus nobilium, cognatorum ipsius D.ni Melchiorris. Idque scio, et quia audivi ibi esse natum, et quia fui in eo loco, quia vidi ibi habere bona paterna ibique morari omnes, qui sunt illius prosapiae.

Iuxta 3 respondit: Idem D.nus Melchior pro certo natus est ex legitimis parentibus et matrimonio, quia ita audivi et est publica vox et fama, et si esset illegitimus, non gauderet privilegio nobilium neque paterna haereditate iuxta leges Regni; et tamen gaudet et possidet, prout est notorium. Parentes tamen illius non cognovi. Est quoque natus ex catholice parentibus et honestis. Idque scio, quia sic communiter reputatur <sup>(a-</sup> et quia eius familia inter nobiles Samogicienses habetur<sup>a-</sup>). Vidi ipsum et fratres et sorores illius catholice viventes. Et nulla est familia ex Samogitiis, quae haeretica sit vel fuerit, quamvis sint aliqui haeretici, sed advenae. Et sunt aliquae foundationes factae pro Ecclesiis Catholicis a parentibus ipsius. Et haec omnia scio, quia iam sunt duodecim anni, quod sum in Ecclesia Samogiciensi, primo Canonicus et successive Archidiaconus.

Iuxta 4 respondit: dictus Melchior est annorum 60 circiter; et scio, quia ego sum minor illi annis tribus circiter. Novi eum, ut dixi, usque ab adolescentia.

Iuxta quintum respondit: Idem D.nus Melchior factus est Sacerdos statim [201v] ingressus in vigesimum quintum annum. Quia enim tunc temporis erat penuria sacerdotum et ipse erat valde zelosus, fuit cito ad sacerdotium promotus. Et tunc temporis fuit illata plebania Crosensis. Quae scio, quia vidi illum abeuntem Vilna pro plebania sibi collata, quam Ser.mus Dux Radivillius <sup>(c-</sup>pro eo impetravit<sup>c-</sup>). Et postea fuit ordinatus ab Episcopo Samogiciensi. Et deinde vidi sedulo saepius celebrantem.

Iuxta sextum respondit: Idem D.nus Melchior est zelosus concionator in idiomate Samogiciensi, frequentissimus in ecclesiasticis functionibus et in celebratione missae, acerrimus propugnator Ecclesiae et Catholicae Religionis. Devotus semper est habitus. Et vidi saepius et in Samogitia celebrantem et in sua Ecclesia concionantem, laborantem et sicientem decorem Domus Dei. Et quia, cum sim Archidiaconus Samogiciensis, visitavi Dioecesim Samogiciensem, et quia etiam fui concionator Vilnae quindecim annis et vidi illum Canonicum Ecclesiae Vilmensis et Archidiaconum et in diversis subselliis promoventem ardentem honorem Dei. Et dicitur pater pauperum et afflictorum.

Iuxta 7 respondit: Idem D.nus Melchior semper permansit in purissima pietate catholica. Et scio [202r] ex causis praedictis. Immo nullo loco

patitur haereticos consistere, prout hoc est notorium, prout et scio ex causis praedictis.

Iuxta octavum respondit: Idem D.nus Melchior talis est, de quo fama mentiri vereatur, etiam in iudicio inimicorum ipsius; ipse enim recuperavit maxima bona Ecclesiae suae Parochialis Crosensis, possessa ab haereticis. Et nullus fuit, qui [in] eum unum crimen obiicere auderet, quod certe fecissent, si potuissent. Et habet talem famam ipse, ut omnes eum credant innocentissimum.

Iuxta nonum respondit: Idem D.nus Melchior est vir gravis, prudens, usu rerum praestans. Fuit enim Iudex Tribunalitius Vilmensis, est Referendarius Magni Ducatus Lithuaniae, cuius officii ratione assistet iudicibus regalibus; administravit annis sex Episcopatum Samogiciensem; est Archidiaconus Vilmensis. Et in istis omnibus muneribus semper optime se gessit, gravemque se virum, prudentem, usu rerum praestantem ostendit atque virum doctum. Et in sua administratione dicti Episcopatus fundavit in Samogicia multas Ecclesias. Et haec omnia scio, quia Ecclesias ab illo erectas ego tanquam Archidiaconus visitavi. Et de reliquis est publica vox et fama, et est notorium apud omnes.

Iuxta X respondit: Non est Doctor, neque aliquo gradu [202v] insignitus in Sacra Theologia, neque in Iure Canonico, non est enim moris apud nos. Est tamen doctus in rebus sacris. Et hoc scio, quia audiavi illum saepius bene resolventem casus diversos, dum eram concionator Vilnae, tum in examinibus sacerdotum, tum etiam in visitationibus atque aliis occurrentibus casibus. Et quia illum audiavi bene et optime concionantem, et quia bene satisfacit in rebus publicis supradictis.

Iuxta XI respondit: Iam dixi, quae munera gessit et quod optime in omnibus se bene gessit.

Iuxta X2 respondit: Idem D.nus Melchior nunquam dedit aliquod publicum scandalum circa fidem, mores, vel doctrinam; et si dedisset, facile ego scivissem, cum sit persona adeo publica, insignis et nota, et quia versatus sum et in Samogitia et in Dioecesi Vilmensi, ubi ipse moratus est. Alias, cum ipse recuperasset bona ecclesiastica pro sua Parrocchia Crosensi de manibus quorundam nobilium haereticorum, fuit ab eisdem per invidiam [delatus]; ulituri hanc sibi, ut ipsi existimabant, iniuriam, eum detulerunt ad Sacram Regiam Maiestatem de homicidio reum. In tali facto iidem haeretici, spoliati his bonis, convocatis factiosis hominibus depopulabantur bona Samogiciae tempore, quo idem Melchior administrabat Episcopatum Samogiciensem. (g-Et cum<sup>g</sup>) idem D.nus Melchior maneret Vilnae, in loco distante quinquaginta leucis (g-a bonis<sup>g</sup>) Episcopatus Samogiciensis, in quibus praedicti depopulationes faciebant, rustici bonorum episcopalium, [203r] facto agmine in sui defensionem, decem circiter ex illis occiderunt. Unde illi haeretici accusarunt eundem D.num Melchiorrem tanquam ipse occidisset vel occidi fecisset. Et cum fere quatuor annis cau-

sa ageretur coram Sacra Regia Maiestate, idem D.nus Melchior ab illius iurisdictione se exemit, cum magno incremento immunitatis Ecclesiae, ostensis privilegiis exemptionum ecclesiarum a iurisdictione temporali, quam antea saeculares in clericos exercebant. Atque ita, remissa causa ad suum Episcopum, in ea ego fui Assessor. Et ipse ostendit innocentiam suam, fuitque liber et innocens pronunciatus, causa bene discussa et per me et alios Canonicos iudicata. Neque aliquo corporis vel animi vitio tenetur, aut alio impedimento canonico, quominus possit ad Ecclesiam Cathedralis promoveri, nullum enim tale vitium aut impedimentum corporis aut animi in eo vidi, et si haberet, facile scivissem propter cognitionem et experientiam, quam cum ipso habui, et inimici eius patefecissent.

Iuxta X3 respondit: Idoneum existimo eundem D.num Melchiorrem ad regendam Ecclesiam Cathedralis, et praesertim Samogiciae, dignumque qui ad illam promoveatur, illiusque ad eam promotionem utilem, immo utilissimam futuram eidem Ecclesiae Samogiciensi. Et ita existimo, quia <sup>(h-quando eundem Episcopatum administravit per sex annos circiter-h)</sup>, apud omnes magnum [203v] sui desiderium reliquit, et modo vassalli Ecclesiae, qui propter iniuriam militum dispersi erant per Livoniam, Prusiam, audito nuncio de eius promotione ad eandem Ecclesiam, in Samogiciam reversi sunt. Ideo et propter zelum, quem habuit in promovendis rebus ecclesiasticis, agenda fide Catholica et propter sufficientiam doctrinae, prout hactenus dixi.

Deinde fuit deventum super interrogatoriis status Ecclesiae Cathedralis Samogiciensis.

Iuxta primum respondit: Ecclesia Cathedralis Civitatis Worniae est in provincia Samogiciae. Et Civitas est de mensa episcopali in plano; est civitas mercantilis, catholica, habet circiter trecentas domos, habitatores circiter octingentos, subiecta etiam in temporalibus eidem Episcopo Samogiciensi. Et hoc scio, quia iam sunt plures anni, quod ego sum Archidiaconus et ibi inhabito.

Iuxta 2 respondit: Ecclesia Cathedralis eiusdem Civitatis Worniae est sub invocatione Sanctorum Petri et Pauli, lignea, a fabro facta, non indiget reparatione, quia defunctus Episcopus D.nus Stanislaus Ghiska restauravit. Et scio ex causa praedicta et quia ego curam habui persolvendi mercedem operariis fabricae.

Iuxta 3 respondit: Ecclesia Cathedralis praedicta est subiecta Archiepiscopo Gnesnensi, nam cum fit Synodus Provincialis, destinantur Canonici Samogicienses a Capitulo Samogiciensi qui eidem intersint, prout bis contigit me existente Archidiacono, [204r] et appellationes ad eundem devolvuntur.

Iuxta 4 respondit: Ecclesia Cathedralis Samogiciensis habet tres dignitates: Suffraganeum, Archidiaconum et Praepositum, Canonicos sex. Et

quaelibet dignitas et Canonicus alit suum Vicarium. Prima dignitas post pontificalem est Suffraganeatus. Redditus Suffraganeatus ascendunt anno quolibet ad duo millia florenorum. Quod scio, quia ego in Urbe illius institutionem promovi. Archidiaconatus modo non habet nisi quatuor centum florenos circiter, cum plura illius bona occupenter ab haereticis. Praepositura habet plusquam alios trecentos florenos. Ex Canonicatibus alii habent ducentos, alii trecentos, alii quingentos florenos. Vicariorum quilibet habet centum viginti florenos. Est etiam Magister cerimoniarum, fundatus nuper ab eodem olim Episcopo Ghiska, qui habet octuaquinta florenos. Est et Organarius, qui habet centum florenos. Non est Praebenda Theologalis, nec Praebenda poenitentiarum<sup>c)</sup>. Manent duo Patres Iesuitae, quorum alter concionatur, alter perlegit casus conscientiae et audit resolutionem. Causa scientiae iam dicta.

Iuxta 5 respondit: Cura animarum non est penes Ecclesiam Cathedrallem Samogiciensem, sed penes Ecclesiam Sancti Alexandri. Fons baptismalis est in utraque Ecclesia. Et scio ex causa praedicta.

Iuxta 6 respondit: Eadem Ecclesia Cathedralis Samogiciensis [204v] Sacrarium habet duplex, unum pro Canonicis, alterum pro Vicariis; utrumque sufficienter instructum sacra superlectili et caeteris ad divinum cultum necessariis et etiam ad exercenda necessaria, Chorum, Orghanum [sic], Campanile cum campanis et Coemiterium tabulis saeptum. Scientiae causa iam dicta.

Iuxta 7 respondit: In eadem Ecclesia sunt aliquae minutiores reliquiae Sanctorum, quae odorifice [sic] asservantur in teghis [sic] argenteis. Scio ex causa praedicta.

Iuxta 8 respondit: Iuxta dictam Ecclesiam Episcopalem est domus pro Episcopo, Ecclesiae iuncta per medium pontem, quae domus circum aquis fluminis Worniae aluitur, non indiget reparatione, si fortasse aliquibus tegulis. Scio ex causa praedicta.

Iuxta 9 respondit: Quando Episcopatus Samogiciensis erat in flore ante incursiones militum et pestem, redditus illius ascendebant ad valorem circiter decem mille florenorum, modo vero ad quam quantitatem praecise ascendant, ignoro, sed existimo, quod magnum detrimentum sit partum. Et scio ex causa praedicta. Quos fructus accepit ex agris et ex censibus vassallorum. Nulla pensio imposita est super Episcopatu.

Iuxta X respondit: Una tantum Ecclesia Parochialis est Worniae, quae habet fontem baptismalem. Nulla est alia Collegiata, nullum Contubernium Religiosorum, neque Monialium. Est Confraternitas [205r] in Cathedrali sub invocatione Beatae Mariae Virginis, et unum Hospitale virorum et mulierum distinctum. Non est Mons Pietatis. Scientiae causa iam dicta.

Iuxta XI respondit: Dioecesis Samogiciensis sese extendit ad 40 miliaria Polonica circiter. Habet Parrocchias nonaginta et alias tres novi-

ter erectas. Et habet oppida circiter septem de Mensa Episcopali et villas plures. Ex oppidis alterum vocatur Crozki, alterum Smeliski, alterum Positenniz at alia, quorum nominum non recordor. Causa scientiae iam dicta.

Iuxta X2 respondit: Ecclesia Samogiciensis habet Seminarium, quod aliquando habuit Vilnae, deinde Worniae, ad praesens Crozis, in quo ali debent pueri duodecim. Habet redditum ex dicto decem et octo millium florenorum, quos ad censum locare solent, (<sup>c</sup>ad rationem<sup>c</sup>) sex pro quolibet centenariis. Post pestem et incursionem militum non tot in eo aluntur. Causam scientiae iam dixi.

Iuxta X3 respondit: Ecclesia Cathedralis Samogiciensis vacabit per translationem moderni Episcopi ad Ecclesiam Vिल्nensem, et hoc est notorium.

Ego, Nicolaus Poneticus, Archidiaconus Samogitiae, prout supra deposui et in fidem omnium subscripsi manu propria.

Eisdem anno, indictione et pontificatu quibus supra, die vero decima octava eiusdem mensis, pro eodem contra quoscumque, examinatus fuit ubi supra, per quem supra [205v] Ill. mus D. nus **Albertus Stanislaus Radivilius**, Magnus Cancellarius Lithuaniae, aetatis suae annorum 38, testis ex officio vocatus, cui *etc. [ut in depositione primi testis]*, deposuit ut infra, videlicet:

Iuxta primum respondit: Iam sunt anni duodecim vel quatuordecim circiter, quod cognosco D. num Melchiorrem Eliagieicz; de illo enim tempore impetravi illi a Ser. mo Rege Referendariatum Magni Ducatus Lithuaniae, et ab inde postea continuavi agnitionem illius, quia habui eum assessorem in iudiciis, ad me tanquam Magnum Cancellarium Lithuaniae spectantibus. Non sum illi consanguineus, cognatus, neque affinis, non aemulus, neque odiosus. Sum amicus et non nimis.

Iuxta 2 (<sup>a</sup>respondit nihil scire.

Iuxta tertium<sup>a</sup>) respondit: Ita creditur et communiter reputatur, quod idem D. nus Melchior sit natus ex legitimo matrimonio, ex honestis et catholicis parentibus, ipse namque est et semper fuit habitus pro catholico. Et ex oriundis ex Samogitia nullus est haereticus.

Iuxta 4 respondit: Idem D. nus Melchior habet quinquaginta annos et ultra, quod tamen patet ex aspectu. Ita communiter dicitur.

Iuxta 5 respondit: Idem D. nus Melchior ante multos annos est factus Sacerdos et ego saepissime audivi illius Sacra. Ipse frequentissime celebrat, est vir doctus.

[206r] Iuxta sextum respondit: Idem D. nus Melchior, ut dixi, frequentissime celebrat et vir adeo pius et devotus est, vix putem reperiri illi aequalem. Audivi, quod ipse frequentissime concionatur, et lingua Polonica et lingua Samogicia. Est assiduus in audiendis confessionibus. Et audi-

vi a religiosis viris eum novem et decem horis<sup>1)</sup> continuis confessiones audire. Et haec omnia a pluribus audiui communiter, et pariter etiam ego expertus sum.

Iuxta 7 respondit: Non possum aliter testari, nisi quod idem D.nus Melchior semper catholice vixit et in fidei puritate permansit; ita communiter ab omnibus praedicatur. Et scio, quod est accerrimus contra haereticos Ecclesiae defensor, et praesertim in recuperandis bonis ecclesiasticis ab haereticis occupatis, prout etiam de praesenti habet similes lites cum eis. Et aedificavit nonnullas ecclesias, prout a pluribus audiui.

Iuxta 8 respondit: Idem D.nus Melchior est vir praeditus vitae innocentia, bonis moribus et bonae conversationis et famae, sic enim communiter alii dicunt et ego etiam testari possum ex conversatione, quam mecum habuit.

Iuxta 9 respondit: Experientia, quam habui de ipso in assessorio meo iudicio, ut supra dixi, semper cognovi eum virum gravem, prudentem et usu rerum praestantem.

Iuxta X respondit: Quoad gradum, nescire; quoad sufficientem doctrinam [206v], ipse D.nus Melchior habet talem doctrinam, quae in Episcopo requiritur ad alios docendum; idque scio ex consuetudine, quam mecum habuit, unde cognovi illum habere peritiam rerum sacrarum.

Iuxta XI respondit: Idem D.nus Melchior per plures annos administravit Episcopatum Samogiciensem. Est etiam Parochus Crosensis et Archidiaconus Vilmensis. In quibus omnibus muneribus, ut ego ipse partim propria experientia testari possum, et partim ab aliis audiui, optime se gessit: Ecclesiam Parochialem suam reaedificavit, optimis paramentis instruxit, auxit redditus Episcopatus, atque ita etiam in moribus et doctrina ac integritate optimum sui dedit testimonium.

Iuxta X2 respondit: Non scio eundem D.num Melchiorrem aliquod publicum scandalum dedisse, nec circa mores, nec circa doctrinam. Fuit aliquando accusatus de crimine omicidii [sic] duorum nobilium, sed calumniose. Qui fuerunt interfecti a subditis Episcopatus Samogiciensis, ut se ab eorum depredationibus tuerentur. Et ego fui Iudex in illa causa. Fuit tanquam innocens absolutus. Immo illi accusatores ab eo veniam deprecata sunt. Et si dedisset aliquod scandalum circa praedicta, facile scivissem, qui tanquam Magnus Cancellarius Lithuaniae potuissem scire ea, quae publice fiunt. Neque habet aliquod impedimentum [207r] corporis vel animi, vel aliud impedimentum vel vitium, quod sciam, quod possit illum impedire, quominus possit ad Episcopatum promoveri.

Iuxta X3 respondit: Eundem D.num Melchiorrem idoneum existimo ad bene regendam Ecclesiam Cathedralem, et et praesertim Samogiciensem, et dignum ut ad illam promoveatur, illiusque promotionem futuram utilem et proficuum Ecclesiae Samogiciensi. Existimo, quod non potuisset inveniri magis idoneus et proficuum eidem Ecclesiae, quia est vir zelosus in

servitio Dei et bonae conversationis et famae. Est vir doctus. Et scio ex causis iam dictis.

Ego, Albertus Stanislaus Radzivil, Dux Olicae, Cancellarius Magni Ducatus Lithuaniae, ut supra deposui, in fidem me subscripsi manu propria.

### [Attestatio Nuntii]

Quibus omnibus et singulis praemissis, sic ut supra gestis, praedictus Adm. Rev.dus D.nus Melchior Heliagieicz, hac infrascripta die, coram nobis, ut supra, personaliter comparuit petiitque se admitti ad praestandum solitum iuramentum professionis fidei literasque et processus de et super omnibus et singulis praemissis factum et fabricatum etc. [ut supra in A. 3, p. 370].

Quocirca Nos, Comes Honoratus Vicecomes, Archiepiscopus Larissenus et Nuncius Apostolicus antedictus, petitionem et requisitionem huiusmodi esse iustam et rationi consonam [considerantes], eundem Adm. Rev.dum Patrem Melchiorrem [207v] Heliagieicz praesentem, ad praedictam fidei professionem praestandam admittimus. Qui Adm. Rev.dus D.nus Melchior antedictus, genu flexus coram nobis, etc. [ut supra in A. 3, p.370-71].

In quorum fidem has praesentes, manu nostra propria subscriptas, per infrascriptum Curiae nostrae Notarium Cancellarium subscribi mandavimus, sigillique nostri, quo in talibus utimur, iussimus et fecimus impressione muniri. Datum Varsaviae, in Palatio nostrae solitae residentiae, sub anno a Nativitate Domini Nostri Iesu Christi milleximo sexcentesimo trigessimo primo, indicatione decima quarta, die vero vigesimo secundo mensis Martii, Pontificatus autem Ss.mi in Christo Patris et Domini Nostri D.ni Urbani, divina providentia Papae Octavi, anno eius octavo. Ego, Comes Honoratus Vicecomes, Archiepiscopus Larissenus, Nuncius Apostolicus, fidem supradictis testibus adhibendam esse censeo et de promovendo bene sentio.

Tenor vero iuramenti professionis fidei est qui sequitur, videlicet: Ego Melchior Heliassiewicz Geisz etc. [*Sequitur professio fidei et attestatio nuntii, ut in A. 3, p. 371*]. Ego, idem Melchior Heliassiewicz Geisz, spondeo, voveo ac iuro. Sic me Deus adjuvet et haec Sancta Dei Evangelia<sup>985</sup>.

Supradictam fidei professionem recepi et admisi. Ego, Honoratus Vicecomes, Archiepiscopus Larissenus, Nuncius Apostolicus [209v].

---

<sup>985</sup> Originale Iuramentum professionis fidei ab Eliaszewicz manu propria subscriptum et a nuntio confirmatum actis processus annexum est in f. 211r-212r.

## [Attestatio Notarii]

